



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Capitularia Ludovici Pii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

CAPITVLARIA
LUDOVICI PII
IMPERATORIS.

PRÆCEPTVM PRIMVM

Pro Hispanis qui in regno Francorum manebant.

*Hoc est praeceptum remissionis sive concessionis quod fecit Ludovicus Imperator
Hispanis qui ad se perfugerant.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris præsentibus scilicet & futuris partibus Aquitanæ, Septimanæ, Provinciæ, & Hispaniæ consistentibus. Sicut nullius vestrum notitiam effugisse putamus qualiter aliqui homines propter iniquam oppressionem & crudelissimum jugum quod eorum cervicibus inimicissima Christianitati gens Sarracenorum impo-
fuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus quæ ad eos hereditario jure pertinebant, de partibus Hispaniæ ad nos confugerunt, & in Septimania atque in ea portione Hispaniæ quæ à nostris Marchionibus in solitudinem redacta fuit, sese ad habitandum contulerunt, & à Sarracenorum potestate se subtrahentes, nostro dominio libera & prompta voluntate se subdiderunt, ita ad omnium vestrum notitiam pervenire volumus quòd eosdem homines sub protectione & defensione nostra receptos in libertate conservare decrevimus.

C A P. I.

EO videlicet modo ut sicut ceteri liberi homines cum Comite suo in exercitum pergant, & in marcha nostra juxta rationabilem ejusdem Comitis ordinationem atque admonitionem explorationes & excubias, quod usitato vocabulo vvacas dicunt, facere non negligant, & Militis nostris aut filij nostri, quos pro rerum oportunitate illas in partes miserimus, aut legatis qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, &

Tom. I.

ad subvectionem eorum veredos donent. Alius verò census ab eis neque à Comite neque à junioribus & ministerialibus ejus exigatur.

I I.

Ipsi verò pro majoribus causis, sicut sunt homicidia, raptus, incendia, depraedationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invasiones, & undecunque à vicino suo aut criminaliter aut civiliter fuerit accusatus & ad placitum venire iustus, ad Comitum sui malum omnimodis venire non recusent. Ce-

M m ij

teras verò minores causas more suo, sicut hæcenus fecisse noscuntur, inter se mutuo definire non prohibeantur.

I I I.

Et si quispiam eorum in partem quam ille ad habitandum sibi occupaverat, alios homines undecunque venientes adtraxerit, & secum in portione sua, quam adprisionem vocant, habitare fecerit, utatur illorum servitio absque alicujus contradictione vel impedimento, & liceat illi eos distringere ad justitias faciendas quales ipsi inter se definire possunt. Cetera verò judicia, id est, criminales actiones, ad examen Comitis referentur.

I V.

Et si aliquis ex his hominibus qui ab eorum aliquo adtractus est & in sua portione conlocatus locum reliquerit, locus tamen qui relictus est, à dominio illius qui eum priùs tenebat non recedat.

V.

Quòd si illi propter lenitatem & mansuetudinem Comitis sui eidem Comiti honoris & obsequij gratia quippiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis pro tributo vel censu aliquo computetur, aut Comes ille vel successores ejus hoc in consuetudinem præsumant, neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut obsequium, præter id quod jam superius comprehensum est, præstare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui præsentis tempore in prædictis locis resident, quam his qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluerint, & in desertis atque in incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam confedentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, juxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione in libertate residere, & nobis ea quæ superius diximus, tam cum Comite suo, quam cum Missis ejus, pro tempo-

rum opportunitate alacriter atque fideliter exhibere.

V I.

Noverint tamen iidem Hispani sibi licentiam à nobis esse concessam ut se in vassaticum Comitibus nostris more solito commendent. Et si beneficium aliquod quicumque eorum ab eo cui se commendavit fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent.

V I I.

Idcirco has nostre auctoritatis litteras eis dare decrevimus, per quas decernimus atque jubemus ut hæc nostre liberalitatis & mansuetudinis constitutio erga illos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris inviolabiliter conservetur. Cujus constitutionis in unaquaque civitate ubi prædicti Hispani habitare noscuntur tres descriptiones esse volumus, unam quam Episcopus ipsius civitatis habeat, & alteram quam Comes, & tertiam ipsi Hispani qui in eodem loco conversantur. Exemplar verò earum in archivo palatii nostri censuimus reponendum, ut ex illius inspectione, si quando, ut fieri solet, aut ipsi se reclamaverint, aut Comes vel quislibet alter contra eos causam habuerit, definitio litis fieri possit.

Hanc quippe constitutionem, ut per diuturna tempora à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris & verius credatur & diligentius conservetur, manu propria subscripsimus & anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Domni Hludovici serenissimi Imperatoris.

Durandus Diaconus ad vicem Helischar recognovit.

Datum Kalendas Ianuarias anno Christo propitio primo imperij Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione VIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.



EPISTOLA

AD MAGNUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM

De confirmatione regulæ Canonorum decretæ in Concilio
Aquisgranensi anno DCCCXVI.

Gloriosissimus Hludovicus superno munere victor semper Augustus venerabili in Christo Magno Senonicæ urbis Archiepiscopo in Domino salutem. Sicut vobis nuperrime in sacro conventu, quem Deo annuente Aquisgrani palatio aggregavimus, ubi multa favente Christo ecclesiasticè immo catholicè acta sunt, meminimus promississe, missimus tuæ venerandæ paternitati per præsentis Missos nostros, Ermenfredum videlicet & Haymonem, formulam canonicæ institutionis quam idem sacer conventus ex sanctorum patrum sparsim digestis sententiis colligere atque in unum congerere studuit: quam quia vobis transcribendi angustia temporis facultatem denegavit, studij nostri fuit eam diligenter transcribi jubere, ut absque ulla depravatione aut detruncatione textus ejus ad vos usque incolumis perferretur. Proinde has litteras ad tuam direximus sanctitatem; per quas jubemus ut memor admonitionis nostræ, suffraganeos tuæ dioceseos loco & tempore competenti ad te convocare studeas, & eandem institutionem per singula capitula coram ecclesiasticis ordinibus prælegi facias, & qualiter eam sacer conventus ob emolumentum animarum instruere salubriter curaverit, patenter edoceas, & his qui canonicæ professionis censentur nomine, secundum ministerium tibi divinitus collatum & nostræ auctoritatis præceptum coram memoratis Missis nostris observandam percenseas. Eorum autem qui tardioris sunt ingenij, & eam fortè plenè intelligere nequeunt, tuo sive comprovincialium tuorum Episcoporum dono scientiæ polentium studio ejus notitia sensibus perfundatur. Nam & tuam nihilominus providam volumus esse beatitudinem ut eam sollerti cura prædicti Missi nostri omnes, prout insinuaveris, transcribere absque ulla depravatione & detruncatione præmonent; quoniam qualiter diligenter stu-

diosèque, distinctè & apertè transcribatur, illos satis instituumus. Cujus nempe exemplar idcirco in armario palatij nostri recondi fecimus ut per hoc nosse & inquirere possemus utrumne ab aliquo negligenter transcripta fuerit: quia, ut comperimus, dum in eodem sacro Concilio perlegeretur, antequam coram nobis ab eodem Concilio prolata, & necdum mensura cibi & potus planè statuta fuisset, invidi magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconsultè ex ea transcripserunt. Vnde necesse est ut si aliquem in tua diocesi tale fecisse repereris, hujusmodi factum coram provincialium tuorum Episcoporum conventu & coram præscriptis Missis nostris frustreris, & hanc authenticam, ut præmisimus, diligenter, sicut Missi nostri eis insinuaverint, transcribi percenseas. Volumus ergo ut omnes prælati Canonorum diligenter illam transcribant, studiosè intelligant, efficaciter, quantum Dominus eis posse dederit, ob suam subditorumque utilitatem opere adimplere procurent; ut quando nos, sicut in eorum sacro & venerabili Concilio generaliter omnibus diximus, Missos nostros hujus negotii inquirendi gratia per univèrsum imperium nostrum Kalendis Septembris venturis direxerimus, omnes, prælati videlicet & subditi, juxta capacitatem & possibilitatem suam, eadem instructione informati atque instructi, ejusdem operatores inveniantur strenui. Quoniam diligenti indagine vite Comite inquirere jubebimus qualiter unusquisque prælatorum ministerium suum expleat, qualiter jussioni nostræ in claustris & ceteris Canonorum necessariis habitationibus, & in eorum stipendiis dandis, & receptaculis pauperum præparandis obtemperaverint, vel quis clerum suum secundum hujus institutionis normam & cetera spiritalia exercitia informare studuerit, aut si quis quem eorum quos in Dei

M m iij

servitio rationabiliter gubernare potuit causa avaritiæ abjecerit : quia ut hæc quæ præmissimus absque ullius difficultatis oppositione in locis in quibus facta necdum erant fieri opportunissimè possent, unius anni spatium, sicut nosti, ad hæc peragenda tribuimus. Qui verò hoc annuo tempore nostræ immòque Dei iussioni juxta vires obtemperare neglexerint, ceteris, ne talia facere audeant, terrorem proculdubio incutiet. Missimus itaque tibi institutionis formam quam idem sacrum & venerabile Concilium ex sanctorum patrum sententiis diligenter excerptis, & sanctimonialibus in uno collegio canonicè degentibus observandam percensuit : quam sive per te, sive per comprovinciales tuos Episcopos, in omnibus tuæ dioceseos puellaribus monasteriis, in quibus canonicè vivitur, studiosè præscriptam haberi volumus. Sed & hoc decernimus, ut à vobis tam Abbatissis quam ceteris sanctimonialibus tradatur, & qualiter eam tenere debeant vestro studio informetur. Ceterum nisi aliquam Abbatissarum quando nos ad præsentiam nostram venire iusserimus, alio tempore volumus ut Abbatissæ propriis in monasteriis resideant, & secundum hanc institutionis formam vivere sibi quæque subjectas gubernare decertent, & nullis illarum per villas residendi aut foras qualibet occasione accepta evagandi suisque voluptatibus deserviendi licentiam attribuunt. Quamquam enim nonnulli Clerici monasteria puellarum, & nonnulli laici monasteria virorum etiam ac puellarum habeant, tua tamen debet providere solertissima industria ut in omnibus locis sub tua diocesi constitutis, ubicunque congregationes Clericorum & sanctimonialium sunt, juxta possibilitatem & facultatem rerum secundum hujus institutionis formam vivant. Quia nulla est omnino Ecclesia, quæ facultates habeat, ubi non possint tot talesque gubernari qui divinum expleant officium, & ubi hospitalitas juxta vires non possit diligi. Nos quoque præfatos Missos nostros ad tuam sanctitatem ideo direximus ut tuum ceterorumque ecclesiasticorum in tua diocesi consistentium

diligenter atque subtiliter in hoc negotio intuerentur studium, & tibi opem in ceteris commonendis ferrent, qui & nobis referrent qualiter prælati & prælatæ eam libenter susceperint, diligenterque transcribere studuerint, & devotè adimplere juxta vires curaverint : quoniam tandiu illos in tua vel comprovincialium tuorum diocesi morari & discurrere unà cum Misso tuo iussimus donec ab omnibus memorata formula transcriberentur, ut videlicet cuncta procurantes, diligenterque taxantes, cum ad nos illos redire opere expleto tempus permisit, cuncta quæ acta sunt vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsos tuumque Missum nostræ dioceseos intimentur, ut sciamus quibus gratiarum actiones referre, quosque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus. Si verò aliquis tuæ dioceseos eidem institutioni nostræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & ea quæ ab eodem sacro & venerabili Concilio constituta atque decreta sunt, quantum Dominus eis posse dederit, observare contempserit, præcipimus ut si antea hujusmodi non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram tua vel Missorum nostrorum admonitione venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram secundum quam Clericis & sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt, quæ ut ab omnibus firmissimè atque inviolabiliter teneatur decernimus, & ne quid incrementi aut detrimenti à quoquam patiantur modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce hujus epistolæ admonemus sanctitatem ut secundum ministerium tibi divino munere collatum nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo exemplum bonum tribuas. Dignum quippe est ut quanto sublimiùs sacerdotij dignitate aliis superemines, & à nobis venerabiliter diligeris, tanto magis ad Dei nostramque voluntatem faciendam devotiorum te atque promptiorum exhibeas. Vale in Domino, & ora pro nobis.



EPISTOLA

AD SICHARIUM ARCHIEPISCOPVM
BURDEGALENSVM.

De eodem argumento.

H Ludouicus divina ordinante providentia Imperator Augustus venerabili in Christo Sichario Archiepiscopo in Domino salutem. Sacrum & venerabile Concilium divino nutu nostroque studio in Aquisgran palatio nuper aggregatum, in quo multa ob propagandam ecclesiasticam dignitatem, precedente & subsequente gratia Christi, diligenter tractata atque instituta sunt, tuam nullatenus credimus latere sanctitatem. Sed quia contigit eidem sancto & venerabili Concilio tuam non interfuisse paternitatem, ad tuam destinare decrevimus beatitudinem, per presentem Missum nostrum nomine Adalelmum, formulam canonicæ institutionis ab eodem sacro conventu ex sanctorum patrum sparsim digestis sententiis collectam atque in unum congestam, quam etiam idcirco penes palatium nostrum diligenter scribi fecimus ut nihil in se scriptorum vitio depravationis aut detractionis habens, ad te usque incolomis perferretur. Quapropter volumus atque decernimus ut juxta metropolitanæ sedis tibi canonicè collatam dignitatem nostræque auctoritatis sanctionem dioceseos tuæ Episcopos & ceteros Ecclesiæ prelatos tempore & loco congruenti ad te accerere facias, & his coram capitulatum memoratam institutionis formulam prælegi jubeas, & quod ob exaltandum ecclesiastici culminis fastigium & animarum salutem idem sacer conventus eam ediderit, liquidò demonstras, sed & his qui in uno collegio canonicè degunt tenendam observandamque coram memorato Misso nostro conferas. Ac si alicujus cordis obtusio eam intelligere nequiverit, huic sive abs te, sive ab aliis Episcopis, provincialibus scilicet tuis, doctrinæ fulgore renitentibus, sobriè tradatur. Sed & in hoc nihilominus circumspectam monemus esse tuam prudentiam, ut ab iis qui eam transcripturi sunt ita transcribatur ut nec

depravata vitio scriptoris nec detruncata ab aliquo fiat, sed sicut à prædicto Misso nostro eis demonstratum fuerit, absque aliqua depravatione vel detruncatione transcribatur. Noveris etiam quia ideo illius exemplum apud armarium palatij nostri detentum est ut eo probari patenter possit quis eam incuriosè transcripserit, vel quis aliquam ejus partem detruncarit. Ut enim comperimus, dum in eodem sacro Concilio perlegeretur, antequam coram nobis ab eodem Concilio prolata, & necdum mensura cibi ac potus statuta fuisset, quidam magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconsultè ex ea transcripserunt. Unde necesse ut si aliquem in tua diocesi tale fecisse repereris, hujusmodi factum coram provincialium tuorum Episcoporum conventu & coram præscripto Misso nostro frustreris, & hanc authenticam, ut præmisimus, diligenter, sicut Missus noster eis insinuaverit, transcribi percescas. Omnes ergo tuæ dioceseos Episcopi & ceteri prelati eam vigilantia cura transcribere, solerti studio intelligere, instantissimæ assiduitatis exercitio divinitus adjuti operibus complere decertent, ut cum nos hujus rei gratia inquirendæ venturis Kalendis Septembribus, sicut eidem sacro & memorabili Concilio meminimus nos dixisse facturos, Missos nostros per imperium à Deo nobis collatum destinaverimus, remota cujuslibet difficultatis oppositione, ejusdem salutaris institutionis prelati & subditi, prout Dominus posse eis dederit, strenuè inveniantur operatores. Quoniam diligenti indagine, vita comite, perquirere jubebimus quis prelatorum injunctum sibi officium strenuè peregerit, vel quis in claustris Canonicorum & ceteris habitationibus construendis, & in necessariis stipendiis eis tribuendis, & in domibus ad receptacula pauperum reparandis, sanctioni nostræ paruerit, quisve clericum suum ea-

dem institutione & ceteris spiritualibus documentis instruere curaverit, vel quis causa avaritiæ eos quos Christi militiæ rationabiliter alere poterat propulerit: quia unius anni spatium dedimus ut ea quæ præmissa sunt absque ullius difficultatis excusatione perfici, ubi necdum facta erant, facillimè possent. Proinde qui hoc anni tempore in hoc negotio nostræ admodum iussioni pro viribus obedire neglexerit, ceteris sine dubio terrori erit, ne tale admittere præsumat. Direximus sanè tibi institutionis formulam quam ejusdem sacri Concilij par consensu parque studio ex sanctorum patrum dictis enucleatim excerptis, & castimoniarum dicatis in una societate canonicè degentibus observandam statuit. Quam volumus à te sive à tuis provincialibus Episcopis studiosè jubere transcribi, & monasteriis puellaribus in tua diocesi consistentibus, in quibus scilicet canonicè vivitur, tenendam conferri, qualiterque ab Abbatibus & ceteris sanctimonialibus religiosissimè ac devotissimè observari debeat, apertissimè perdoceri. Quoniam, nisi quando nos aliquam Abbatissarum nostram adire jusserimus præsentiam, alio tempore volumus in monasteriis resideant, & secundum ejusdem institutionis formam vitam ducant, sibi que subditas in sancto religionis proposito constringant. Et nulla illarum foras evagandi, aut occasione qualibet accepta per villas residendi, suisque voluptatibus deservendi licentiam sibi attribuat. Quamquam enim nonnulli Clerici monasteria puellarum, & nonnulli laici monasteria virorum etiam & puellarum habeant, tua tamen debet prævidere solertissima industria ut in omnibus locis sub tua diocesi constitutis, ubicunque congregationes Clericorum & sanctimonialium sunt, juxta possibilitatem & facultatem rerum secundum hujus institutionis formam vivant. Quia nulla est omnia Ecclesia, quæ facultates habeat, ubi non possint tot talesque gubernari qui divinum expleant officium, & ubi hospitalitas juxta vires non possit diligi. Nos quoque præfatum Missum nostrum ad tuam sanctitatem ideo direximus ut tuum ceterorumque ec-

clesiasticorum in tua diocesi existentium diligenter atque subtiliter in hoc negotio intueretur studium, & tibi opem in ceteris commonendis ferret: qui etiam nobis referret qualiter prelati & prelatæ eas formulas libenter susceperint, diligenter transcribere studuerint, & devotè adimplere juxta vires curaverint. Quoniam tamdiu illum in tua vel provincialium tuorum diocesi immorari & discurrere unicum Misso tuo iussimus donec ab omnibus memoratæ formulæ transcriberentur, ut videlicet cuncta procurans, diligenterque perficiens, cum ad nos illum redire opere expleto tempus permiserit, cuncta quæ acta sunt vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsum tuumque commissum nostræ dinoscentiæ intimentur; ut sciamus quibus gratiarum actiones referre, quosque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus. Si vero aliquis tuæ dioceseos eidem institutioni vestraque admonitioni procaciter reniti voluerit, & eam quæ ab eodem sacro conventu constituta atque decreta est pro viribus observare neglexerit, & exinde admonitus non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram tua vel Missi nostri admonitione venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram secundum quæ Clericis & sanctimonialibus panis & potus æquabiliter tribuenda sunt: quæ ut ab omnibus firmissimè atque inviolabiliter teneatur decernimus, & ne quid incrementi aut detrimenti à quoquam patiantur, modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce epistolæ admonemus sanctitatem ut secundum ministerium tibi divino munere collatum nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo bonum exemplum tribuas. Dignum quippe justumque est ut quanto sublimius sacerdotij dignitate alius superemines, & à nobis venerabiliter diligaris, tanto magis ad Dei nostramque voluntatem exequendam devotioem te atque promptiorem exhibeas. Vale in Domino, & ora pro nobis.



EPISTOLA
AD ARNONEM ARCHIEPISCOPVM
SALZBURGENSEM.

De eodem argumento.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus venerabili Arnoni Archiepiscopo in Domino salutem. Sacrum & memorabile Concilium divino nutu nostroque studio in Aquisgrani palatio nuper adgregatum &c. per presentem Missum nostrum nomine Nothonem &c. *ut supra in epistola ad Siccharium.*

CAPITVLARE AQVISGRANENSE
ANNI DCCCXVI.

Anno **DCCCXVI.** incarnationis Domini nostri Iesu Christi Hludovicus Imperator Christianissimus ac piissimus ex omni imperio suo fecit conventum Episcoporum, Abbatum, Comitum, vel majorum natu Francorum, ut sancirent capitula pro utilitate totius Ecclesie. Quod ita factum est.

INCIPIT PROLOGVS

HLVDOVVICI IMPERATORIS.

QVia, juxta Apostolum, quandiu in hoc seculo sumus, peregrinamur ^{2. Cor. 6.} à Domino, & nihil in presentis fixum, nihil immobile, sed cuncta veloci pervolant cursu, & Scriptura testatur, quodcunque possumus, instanter operari debemus, quia nulli ad bene operandum craftinus dies promittitur, omnesque secundum Apostolum ante tribunal Christi stabimus, ut unusquisque rationem pro his quæ gessit reddat, nobis præcipue, qui ceteris mortalibus conditione æquales existimus, & dignitate tantum superiores sumus, secundum scripturam sacram, quæ dicit, *Quoniam interrogabit opera nostra, & cogitationes scrutabitur,* rationes reddi- ^{Sap. 6.} turi sumus, sollicita circumspectione totaque mentis intentione sata-
Tom. I. N n

gendum est ut bonis operibus jugiter insistendo, his quibus præesse videmur, modis omnibus, quantum nobis divina suffragante misericordia facultas adtributa fuerit, prodesse curemus. Sed quia omne datum optimum & omne donum perfectum deforsum est, debemus continuis precibus Dominum humiliter exorare, faciémque illius humili confessione & congrua, prout ipse posse dederit, emendatione prævenire; ut sicut ejus est muneris quod regnamus, ejus sit pietatis quod feliciter regnamus; quatenus, eo miserante, & regni gubernacula æquissimo libramine tenere & ad eum qui Rex Regum est & Dominus dominantium, cum multiplici fructu administrationis nostræ, justitia scilicet, & pietate, atque humilitate, sine fine cum eo regnaturi mereamur pervenire. Et quoniam per Apostolum suum nos adjuutores suos appellare dignatus est, & sancta Ecclesia, ejus videlicet sponsa, in scripturis sacris hortus est appellata, quotidianis exercitiis adhibito sarculo bonæ operationis est excolenda; ut sicut semper nociva in ea velut in bono agro emergunt, ita semper laboris boni studio eradicentur noxia, plantentur utilia. Oportet & nos cunctis ejus necessitatibus, nisi quibus possumus, devotè consulere: quatenus in ejus emendatione, quantum Dominus posse dederit, tota cum mentis devotione elaborantes, in aliqua parte ædificiorum illius, à fabricatore ejus, Domino scilicet Iesu Christo, aptari mereamur. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque Domino dispensante successoribus quia cum nos nullis existentibus meritis divina pietas, genitore nostro à rebus humanis exempto, ad ejus imperij culmen provexisset, quomodo aut qualiter desiderium divini cultus, quod ab ineunte ætate Christo inspirante mente conceperamus, ad effectum Domino suffragante perduceremus, & quid studij quidve laboris progenitores nostri, præcipuè tamen piæ recordationis genitor noster in utilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ exhibuerit, adverteremus, & pia illorum facta non solum inviolata conservare, sed etiam imitari pro viribus nobis à Domino concessis optarem, scilicet ut quicquid sive in ecclesiasticis negotiis, sive in statu reipublicæ, emendatione dignum prospexissemus, quantum Dominus posse dabat, nostro studio emendaretur. Et hæcenus hinc inde mundanorum turbinum procellis emergentibus, diversissimisque occupationibus ingruentibus præpediti, ut optaveramus, efficere nequivissemus, ejus rei gratia * quarto anno imperij nostri, accersitis nonnullis Episcopis, Abbatibus, Canonicis, & monachis, & fidelibus, obtutibus nostris, studuimus eorum consulta sagacissima investigare inquisitione, qualiter unicuique ordini, Canonicorum videlicet & monachorum & laicorum, juxta quod ratio dictabat & facultas suppetebat, Deo opem ferente consuleremus. Et quoniam licet sæpe de statu Ecclesiarum & de ritibus præterito tempore ordinassimus, & Missos nostros per singula loca destinassimus, sed invidente diabolo per tyrannicam pravitatem præpeditum fuisset, oportebat ut hoc tempus pacis indultum ad communem sanctæ Dei Ecclesiæ & omnium nostrorum utilitatem impenderemus, tribus videlicet modis; ut quæ bene inchoata erant, Deo auxiliante

* tertio

auxiliante effectum obtinerent; & si quæ bona voluntate, sed incauta discretionem, variis præpedientibus causis inchoata fuissent, ut diligenter inspicerentur, & discretè, prout facultas suppetebat, corrigerentur; si quæ etiam de his quæ necessaria erant deesse videremus, ut quærerentur, & Deo auxiliante ad effectum perducerentur: quatinus deinceps opus nostrum à nemine justè posset reprehendi, & tam nostris quàm futuris temporibus multorum saluti proficeret, & Deo opitulante stabile permaneret. Sed qualiter de his divina cooperante gratia, consulti fidelium, pro viribus & temporis breuitate, licet non quantum debuimus & volumus, sed quantum à Deo posse accepimus, egerimus, & quid unicuique ordini communi voto communique consensu consulere studuerimus, ita ut quid Canonicis propriè de his, quidve monachis observandum, quid etiam in legibus mundanis, quid quoque in Capitulis inserendum foret, adnotaverimus, & singulis singula observanda contraderemus, tamen ut siue nostris siue successorum nostrorum temporibus rata forent & inuolabiliter Deo annuente conservarentur, libuit nobis ea quæ gesta sunt, ob memoriæ firmitatisque gratiam, in unum strictim congerere, & subjectis capitulis annotare, & in publico archiuo recondere; ut successores nostri Deo dispensante nostra pia facta conservantes, & ipsi nihilominus bona facta sua successoribus suis seruanda perdoceant.

EXPLICIT PROLOGVS.

Hæc capitula propriè ad Episcopos vel ad ordines quosque ecclesiasticos pertinentia; quæ non solum ipsi observare, sed etiam sibi subjectis vel commissis facienda perdocere debent.

INCIPIVNT CAPITVLA.

- | | |
|--|--|
| 1. D erebus Ecclesie non diuidendis. | 14. De Ecclesiis destructis, vel de nonis & decimis. |
| 2. De Episcopis eligendis. | 15. De Ecclesiarum honore. |
| 3. De diltis patrum congestis pro canonica professione, quia dehonestabatur. | 16. De Episcopis Italia. |
| 4. De collatis Ecclesie diuidendis. | 17. De Presbyteris qui feminas in domibus habent. |
| 5. De Abbatibus eligendis. | 18. De Presbyteris qui pro chrismate in cæna domini veniebant. |
| 6. De ordinatione seruorum. | 19. De prædicatione & confirmatione Episcoporum. |
| 7. De personis à quibus non sunt res accipiende. | 20. De pueris tondendis & puellis velandis. |
| 8. Vt nullus Presbyter aliqua cupiditate quemquam tonsurare suadeat. | 21. De feminis viros amittentibus. |
| 9. De Presbyteris constituendis. | 22. De raptis, & de eorum raptoribus. |
| 10. De mansis uniuscuiusque Ecclesie. | 23. De puellis raptis necdum desponsatis. |
| 11. De Presbyteris uniuscuiusque Ecclesie. | 24. De desponsatis & ab aliis raptis. |
| 12. De villis novis, & Ecclesiis in eis nouiter constitutis. | 25. De his qui virginibus Deo dicatis se faciant. |
| 13. De sacris vasis Ecclesie in pignus datus. | 26. De puellis, quo tempore velentur. |

27. De examinatione sancte crucis non faciendā.

28. De pabulo verbi divini nuntiando.

29. De incestis nuptiis, & de Ecclesiis non dividendis.

INCIPIVNT SVPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

De rebus Ecclesie non dividendis.

I. 77. I. **Q**uia juxta sanctorum patrum traditionem novimus res Ecclesie vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris neque filiorum & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiantur.

De Episcopis eligendis.

Ibid. 78. II. Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius pontretur honore, ad sensum ordini ecclesiastico praebuimus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta canonum de propria dioecesi, remota personarum & munerum acceptatione, ob vitae meritum & sapientiae donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subiectis usquequaque prodesse valeant.

De dictis patrum congestis pro canonica professione, quia dehoneftabatur.

Ibid. 79. III. Quia verò canonica professio à multis, partim ignorantia, partim desidia, dehoneftabatur, operæ pretium duximus, Deo annuente, apud sacrum conventum ex dictis sanctorum patrum, velut ex diversis pratis quosdam vernantes flosculos carpendo, in unam regulam Canonico-rum & Canonicarum congerere, & Canonicis vel sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate possit servari. Et quoniam illam sacer conventus ita etiam laudibus extulit ut usque ad unum iota observandam percenseret, statuimus ut ab omnibus in eadem professione degentibus indubitanter teneatur, & modis omnibus sive à Canonicis sive à sanctimonialibus

canonicè degentibus deinceps observetur.

De collatis Ecclesie dividendis.

Ibid. 80. IV. Statutum est ut quicquid tempore imperij nostri à fidelibus Ecclesie sponte conlatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia cedere Clericorum aut monachorum, in minoribus verò locis aequè inter clericum & pauperes fore dividendum; nisi forte à datoribus, ubi specialiter dandae sint, constitutum fuerit.

De Abbatibus eligendis.

Ibid. 81. V. Monachorum siquidem causam qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, & quomodo ex se ipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus, & qualiter Deo opitulante quieti vivere propositumque suum indefessè custodire valerent ordinaverimus, in alia scheda diligenter adnotari fecimus, & ut apud successores nostros ratum foret & inviolabiliter conservaretur, confirmavimus.

De ordinatione servorum.

Ibid. 82. VI. De servorum verò ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indifcretè promovebantur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordari debere. Et statutum est ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere praesumat, nisi prius à dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet servus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude, ad gradus ecclesiasticos pervenerit, decretum est ut deponatur, & dominus ejus eum recipiat. Si verò avus vel pater ab alia patria in altam migrans, in eadem provincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & utrum servus sit ignoraverit, & postea veniens dominus illius legibus eum adquisiverit, sancitum est ut si dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eum catena servitutis à castris dominicis extrahere voluerit, gradum amittat; quia juxta sacros ordines vilis persona manens sacerdotij dignitate fungi non potest. De rebus

rebus verò illorum vel peculiari qui à propriis dominis libertate donantur ut ad gradus ecclesiasticos jure promoveantur, statum est ut in potestate dominorum consistat utrum illis concedere an sibi vindicare velint. Ceterum si post ordinationem aliquid adquisiverint, illud observetur quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est. De Ecclesiarum verò servis communi sententia decretum est ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei verò illorum exemplar illius penes se habeant. Et quocumque de familia Ecclesie utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet caliditate libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum est quos laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint. Sed & de his quos præpositi Canonorum aut monachorum ordinandos expetiverint, eadem forma servanda est.

De personis à quibus non sunt res accipiendæ.

Ibid. 83. VII. Statutum est ut nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione possint rerum propriarum exheredari. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ut & acceptor, synodali vel imperiali sententia districtè feriat, & res ad exheredatos redeant.

Vt nullus Presbyter aliqua cupiditate quemquam tonsurare susceat.

v. 113. VIII. Statutum est etiam ut nullus in canonica aut regulari professione constitutus aliquem tonsurare propter res adipiscendas deinceps persuadeat: & qui hoc facere tentaverit, synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriat.

De Presbyteris constituendis.

I. 84. IX. Statutum est ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur nec expellantur. Et si laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reciant.

De mansis uniuscujusque Ecclesie.

Ibid. 87. X. Statutum est ut unicuique Eccle-

sie unus mansus integer absque ullo servitio adtribuat, & Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atris vel hortis juxta Ecclesiam positus, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

De Presbyteris uniuscujusque Ecclesie.

XI. Statutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit.

De villis novis, & Ecclesiis in eis noviter constitutis.

XII. Sancitum est, de villis novis & Ecclesiis in eis noviter constructis, ut decimæ de illis villis ad easdem Ecclesias conferantur.

De sacris vasibus Ecclesie in pignus datis.

XIII. De sacris vasibus Ecclesie, quæ in pignus à nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est ne deinceps à quoquam fieri præsumatur, nisi solummodo necessitate redimendorum captivorum compellente.

De Ecclesiis destructis, vel de nonis & decimis.

XIV. De Ecclesiis sanè destructis, vel de nonis & decimis, sive de claustris Canonorum, qualiter constitui & ordinari nobis placuerit, aliis capitulis subter adnotavimus.

De Ecclesiarum honore.

XV. Sed & de Ecclesiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nos est, vigeat, similiter in subter adnotatis capitulis insertum esse dinoscitur.

De Episcopis Italiae.

XVI. De Episcopis verò in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant sacramenta & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est ne ulterius fiat: quia juxta sacros canones uterque à gradu proprio talia facientes decidi debent.

De Presbyteris qui feminas in domibus habitent.

XVII. Statutum est ab Episcopis de Presbyteris qui feminas secum indiscretè habitare permittunt, & propter hoc male opinionis suspitione denotantur, ut si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum canonum canonica invectione feriantur.

De Presbyteris qui pro chrismate in coena Domini veniebant.

Ibid. 93. XVIII. De Presbyteris qui accipiendi chrisimatis gratia ad civitates in coena Domini venire soliti erant, sancitum est ut de his qui longè positi sunt, de octo vel decem unus ab Episcopo eligatur, qui acceptum chrisma sibi & focis diligenter perferat. Hi verò qui non longius à civitate quàm quatuor aut quinque milibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per se veniant. Discendi verò gratia alio non quadragesimæ tempore ad civitates convocentur.

De predicatione & confirmatione Episcoporum.

Ibid. 94. XIX. Ne verò Episcopi occasione predicandi aut confirmandi oneri essent populis, à nobis admoniti polliciti sunt se deinceps hoc cavere velle & eo tempore suum ministerium, in quantum facultas dabatur, exequi quo eorum profectio, quantum in illis erat, his quibus prodesse possunt & debent non sit importuna vel onerosa.

De pueris tondendis, & puellis velandis.

Ibid. 95. XX. Ne pueri verò sine voluntate parentum tonsorentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibutum est; & qui hoc facere tentaverit, multam quæ in capitulis legis mundanæ à nobis constitutis continetur persolvere cogatur.

De feminis viros amittentibus.

Ibid. 96. XXI. De feminis quæ viros amittunt, placet ne se sicut hætenus indifcretè velent, sed ut triginta dies post decessum viri sui expedient, & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum sacerdotum suorumque parentum atque amicorum, id quod eligere debent eligant. Et quia à sacro conventu rogati ut hi qui publicam gerebant penitentiam, & feminae quæ viros amittebant, nostra auctoritate donec deliberent quid agant tuerentur, specialiter pro his capitula fieri & legis mundanæ capitulis inferenda decrevimus.

De raptis, & de eorum raptoribus.

Ibid. 97. XXII. De raptis verò & de raptoribus quamquam specialiter decrevissemus quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentaverint, quid tamen super his sacri canones præcipiant, hic inferendum necessarium duximus, quatinus omnibus pateat quantum malum sit, & non solum humana sed etiam divina auctoritate con-

stricti, abhinc hoc malum caveatur.

De puellis raptis, necdum desponsatis.

XXIII. De puellis raptis necdum desponsatis ita in Concilio Chalcedonensi, ubi DCXXX. patres adfuerunt, capitulo XXVIII. habetur: *Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandis cooperantes & conbibentes raptoribus, decrevit sancta synodus, si quidem Clerici sunt, decedant gradu proprio, si verò laici, anathematizentur.* Quibus verbis aperte datur intelligi qualiter hujus mali auctores damnandi sunt, quando participes & conbibentes tanto anathemate feriuntur, & quòd juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt.

De desponsatis, & ab aliis raptis.

XXIV. De desponsatis puellis & ab aliis raptis ita in Concilio Ancyritavo capitulo decimo legitur: *Desponsatas puellas & post ab aliis raptas placuit erui & eis reddi quibus antè fuerant desponsate, etiam si eis à raptoribus vis inlata confiterit.* Proinde statutum est à sacro conventu ut raptor publica penitentia multetur, rapte verò, si sponsus eam recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alij non negetur. Quòd si & ipsa consensit, simili sententia subiaceat. Quòd si ipsi post hæc se conjugere præsumpserit, utrique anathematizentur.

De his qui virginibus Deo dicatis se sociant.

XXV. De his verò qui sacris virginibus se sociant ita in decretis Papæ Gelasij capitulo vigesimo continetur: *Virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegèque miscere, quos protinus æquum est à sacra communione detrueri, & nisi egerint publicam probatamque penitentiam, omnino non recipi; aut his certè viaticum de seculo transsentibus, si tamen penituerint, non negetur.* Si verò de copulatione sacrarum virginum tam severè feriuntur, quanto severius feriendi sunt qui eas rapiunt? Ideo, sicut præmissum est, necesse est ut ab omnibus in Christiana religione consistentibus rigore auctoritatis divinæ vel humanæ hoc malum radicitus amputetur.

De puellis, quo tempore velentur.

XXVI. Ne verò puellæ indifcretè velentur, placuit nobis etiam de sacris canonicis qualiter observandum sit hic inferere. De tempore velandarum puellarum in Africano Concilio capitulo decimo sexto continetur ut non ante viginti quinque

annos consecrentur. Item in eodem Concilio capitulo XCIII. de virginibus velandis ita continetur: *Item placuit ut quicumque Episcoporum, necessitate periclitantis pudicitie virginis, cum vel petitor potens vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem seu velavit ante viginti quinque annos etatis, non ei obfit Concilium quod de isto annorum numero constitutum est.* Unde colligitur quia iuxta priorem sanctionem virgines vigesimo quinto etatis suae anno rite consecrandae sint. Quod si praemissae necessitates ante id fieri compulerint, nullum possit Episcopo afferre praedictum consecranti.

De examinatione sanctae crucis non facienda.
XXVII. Sanctum est ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere praesumat, ne quae Christi passionis glorificata est, cujlibet temeritate contemptui habeatur.

De pabulo verbi divini nuntiando.

XXVIII. Episcopus vero ut sive per se, sive per vicarios, pabulum verbi divini sedulo populis adnuntiet, (quia, ut ait beatus Gregorius, iram contra se occulti judicis excitat Sacerdos, si sine praedicationis sonitu incedit) & ut clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriet, divinisque officiis imbuant, quod rite ad sacrosanctos ecclesiasticos ordines promoveri possint, & ut operam dent quatinus Presbyteri Missalem & Lectorium sive ceteros libellos sibi necessa-

rios bene correctos habeant, & qualiter Ecclesias destructas sibi pertinentes juxta vires emendent, qualiter etiam viduas diligenter instruant, quomodo etiam secundum apostolicam auctoritatem conversari debeant, edoceant, & ut superstitiones quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt eradicent, & ut exemplo suae innocentiae alios ad bene vivendum provocent, & cunctis ecclesiasticis negotiis, in quantum Dominus juvaverit, totis viribus consulere satagant, diligenter admonuimus; & ut liberius exequi valeant, nos, in quantum Dominus posse dederit, opem ferre modis omnibus optamus.

De incestis nuptiis, & de Ecclesiis non dividendis.

XXIX. Nonnulla vero capitula, sicut de incestis nuptiis, necnon & de Ecclesiis quae inter coheredes dividuntur, & tali occasione proprio honore carent, sive de his Ecclesiis quae nimium rebus propriis sunt adtenuatae, vel certe de his rebus quae nuper, necessitate compellente, a nonnullis ecclesiasticis sunt ablatae, & si quae sunt talia sive in ecclesiasticis sive in publicis rebus emendatione digna, quae pro temporis brevitate efficere nequivimus, in tantum differendum illud dignum judicamus donec Domino favente consultu fidelium facultas nobis id efficiendi ab eo tribuatur. Inventa vero ut Deo opitulante effectum obtineant per tempora, jam emendata atque correctae ac restituta scriptis confirmare optamus.

PRÆCEPTVM SECVNDVM

Pro Hispanis qui in regno Francorum manebant.

Hoc est praeceptum concessionis quod fecit Ludovicus Imperator Hispanis qui ad se perfugerant.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris tam praesentibus quam & futuris seu etiam successoribus nostris quia postquam Hispani, qui de potestate Sarracenorum se subtraxerunt, &

ad nostram seu genitoris nostri fidem se contulerunt, & praeceptum auctoritatis nostrae, qualiter in regno nostro cum suis Comitibus conversari & nostrum servitium peragere deberent, scribere & eis dare iussimus, querimoniam aliqui ex ipsis Hispanis nostris auribus detulerunt duo capitula continentem; quorum unum est

N n ij

quòd quando iidem Hispani in nostrum regnum venerunt & locum desertum, quem ad habitandum occupaverunt, per præceptum Domni & genitoris nostri ac nostrum sibi ac successoribus suis ad possidendum adepti sunt, hi qui inter eos majores & potentiores erant ad palatium venientes, ipsi præcepta regalia susceperunt, quibus susceptis, eos qui inter illos minores & infirmiores erant, loca tamen sua bene excoluisse videbantur, per illorum præceptorum auctoritatem aut penitus ab eisdem locis depellere aut sibi ad servitium subicere conati sunt; alterum est, quòd simili modo de Hispania venientes, & ad Comites sive vassos nostros vel etiam ad vassos Comitum se commendaverunt, & ad habitandum atque excolendum deserta loca acceperunt, quæ ubi ab eis excolta sunt, ex quibuscumque occasione eos inde expellere & ad opus proprium retinere aut aliis propter præmium dare voluerunt. Quorum neutrum justum aut rationabile nobis esse videtur. Et ideo per hanc nostræ præceptionis auctoritatem decernimus atque jubemus ut hi qui vel nostrum vel Domni & genitoris nostri præceptum accipere meruerunt, hoc quod ipsi cum suis hominibus de deserto excoluerunt, per nostram concessionem habeant. Ceteri verò qui simul cum eis venerunt & loca deserta occupaverunt, quicquid de ininculto excoluerunt, absque ullius inquietudine possideant tam ipsi quam illorum posteritas, ita duntaxat ut servitium nostrum cum illo qui ipsum præceptum accepit pro modo possessionis quam tenet facere debeat. Hi verò qui

postea venerunt, & se aut Comitibus aut vassis nostris aut paribus suis se commendaverunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub quali convenientia atque conditione acceperunt, tali eas in futurum & ipsi possideant & suæ posteritati derelinquant. Hoc nostræ auctoritatis decretum non solum erga præteritos & præsentis, verum etiam erga futuros qui adhuc ex illis partibus ad nostram fidem venturi sunt, conservandum statuimus, de hac constitutione nostræ septem præcepta uno tenore conscribere iussimus: quorum unum in Narbona, alterum in Carcaffona, tertium in Rosçiliona, quartum in Empuriis, quintum in Barchinona, sextum in Gerunda, septimum in Biterris haberi præcepimus, & exemplar eorum in archivo palatij nostri, ut prædicti Hispani ab illis septem exemplaria accipere & habere possint, & per exemplar quod in palatio retinemus, si rursus querela nobis delata fuerit, facilius possit definiri. Et ut hæc nostræ auctoritatis constitutio firmiter obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ plenius per tempora conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Domni Hludouici serenissimi Imperatoris.

Arnaldus ad vicem Helisachar recognovit.

Data 1 v. Id. Februarij anno Christo propitio tertio imperij Domni Hludouici piissimi Augusti, Indictione 1 x.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.



CHARTA DIVISIONIS IMPERII
 INTER LOTHARIVM, PIPPINVM, ET LVDOVICVM
 FILIOS LVDOVICI PII IMPERATORIS.

Nunc primùm edita ex veteri codice MS. bibliotheca Colbertina.

Divisio imperij Domni Hludouici inter dilectos filios suos, inter
 Hlotharium videlicet & Pippinum & Hludouicum,
 anno quarto imperij sui.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludouicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Cùm nos in Dei nomine anno incarnationis Domini octingentesimo septimo decimo, Indictione decima, annòque imperij nostri quarto, mensè Julio, Aquisgrani palatio nostro more solito sacrum conventum & generalitatem populi nostri propter ecclesiasticas vel totius imperij nostri utilitates pertractandas congregassemus & in his studeremus, subitò divina inspiratione actum est ut nos fideles nostri commonerent quatenus manente nostra incolomitate & pace undique à Deo concessa, de statu totius regni & de filiorum nostrorum causa more parentum nostrorum tractaremus. Sed quamvis hæc admonitio devotè ac fideliter fieret, nequaquam nobis nec his qui sanum sapiunt visum fuit ut amore filiorum aut gratia unitas imperij à Deo nobis conservati divisione humana scinderetur, ne fortè hac occasione scandalum in sancta Ecclesia oriretur & offensam illius in cujus potestate omnium jura regnorum consistunt incurreremus. Idcirco necessarium duximus ut jejuniis & orationibus & eleemosynarum largitionibus apud illum obtineremus quod nostra infirmitas non præsumebat. Quibus rite per triduum celebratis, nutu omnipotentis Dei, ut credimus, actum est ut & nostra & totius populi nostri in dilecti primogeniti nostri Hlotharij electione vota concurrerent. Itaque taliter divina dispensatione manifestatum placuit & nobis & omni populo nostro more solenni imperiali diademate coronatum & nobis & consortem & successorem imperij, si Dominus voluerit, communi voto constitui. Ceteros verò fratres ejus, Pippinum videlicet & Hludouicum æquivocum nostrum, communi consilio placuit regiis insigniri nominibus & loca inferiùs denominata constituere in quibus post decessum nostrum sub seniore fratre regali potestate potiantur juxta inferiùs adnotata capitula, quibus quam inter eos constituimus conditio continetur. Quæ capitula propter utilitatem imperij & perpetuam inter eos pacem conservandam & totius Ecclesiæ tutamen cum omnibus fidelibus nostris considerare placuit & considerata conscribere & conscripta propriis manibus firmare, ut Deo opem ferente, sicut ab omnibus communi voto actum est, ita communi devotione à cunctis

inviolabiliter conserventur ad illorum & totius populi Christiani perpetuam pacem. Salva in omnibus nostra imperiali potestate super filios & populum nostrum cum omni subjectione quæ patri à filiis & Imperatori ac Regi à suis populis exhibetur.

C A P. I.

Volumus ut Pippinus habeat Aquitaniam & Vvalconiam & marcham Tolosanam totam, & insuper comitatus quatuor, id est, in Septimania Carcassensem, & in Burgundia Augustudunensem & Avalensem & Nivernensem.

I I.

Item Hludovicus volumus ut habeat Bajoariam & Carentanos & Beheimos & Avaros atque Sclavos qui ab orientali parte Bajoariæ sunt, & insuper duas villas dominicales ad suum servitium in pago Nortgæ Luttraof & Ingoldestar.

I I I.

Volumus ut hi duo fratres, qui Regis nomine censentur, in cunctis honoribus intra suam potestatem distribuendis propria potestate potiuntur, tantum ut in episcopatibus & abbatis ecclesiasticus ordo teneatur, & in ceteris honoribus dandis honestas & utilitas fervetur.

I V.

Item volumus ut semel in anno, tempore opportuno, vel simul vel singillatim, juxta quod rerum conditio permiserit, visitandi & videndi & de his quæ necessaria sunt, & quæ ad communem utilitatem vel ad perpetuam pacem pertinent, mutuo fraterno amore tractandi gratia ad seniore fratrem cum donis suis veniant. Et si fortè aliquis illorum qualibet inevitabili necessitate impeditus venire tempore solito & opportuno nequiverit, hoc seniori fratri legatos & dona mittendo significet, ita duntaxat ut cum primùm possibilitas congruo tempore adfuerit, venire qualibet cavillatione non dissimulet.

V.

Volumus atque monemus ut senior frater, quando ad eum aut unus aut ambo fratres sui cum donis, sicut prædictum est, venerint, sicut ei major potestas Deo anente fuerit adtributa, ita & ipse illos pio fraternoque amore largiori dono remuneret.

V I.

Volumus atque jubemus ut senior frater junioribus fratribus suis, quando contra exterarum nationum auxilium sibi ferre ra-

tionabiliter expetiverint, juxta quod ratio dictaverit & temporis opportunitas permiserit, vel per se ipsum vel per fideles Milites & exercitus suos opportunum eis auxilium ferat.

V I I.

Item volumus ut nec pacem nec bellum contra exterarum & huic à Deo conservato imperio inimicas nationes absque consilio & consensu senioris fratris ulla tenus suscipere præsumant. Impetum verò hostium subito insurgentium vel repentinas incursionem juxta vires per se repellere studeant.

V I I I.

De legatis verò, si ab exteris nationibus vel propter pacem faciendam, vel bellum suscipiendum, vel civitates aut castella tradenda, vel propter alias qualibet majores causas directi fuerint, nullatenus sine senioris fratris conscientia eis respondeant, vel eos remittant. Si autem ad illum de quacunque parte Missi directi fuerint, ad quemlibet illorum primò pervenerint, honorificè eos cum fidelibus Missis usque ad ejus præsentiam faciat pervenire. De levioribus sanè causis juxta qualitatem legationis per se respondeant. Illud tamen monemus, ut quomodocunque se res in confinis eorum habuerint, semper ad senioris fratris notitiam perferre non neglegant, ut ille semper sollicitus & paratus inveniat ad quacunque necessitas & utilitas regni postulerit.

I X.

Præcipiendum etiam nobis videtur ut post decessum nostrum uniuscujusque vassallus tantum in potestate domini sui beneficium propter discordias evitandas habeat, & non in alterius. Proprium autem suum & hereditatem, ubicunque fuerit, salva justitia cum honore & securitate secundum suam legem unusquisque absque injusta inquietudine possideat, & licentiam habeat unusquisque liber homo, qui seniore non habuerit, cuicumque ex his tribus fratribus voluerit se commendandi.

X.

Si autem &, quod Deus avertat, & quod nos minimè optamus, evenerit ut aliquis illorum propter cupiditatem rerum terrenarum, quæ est radix omnium malorum,

rum, aut divisor aut oppressor Ecclesiarum vel pauperum extiterit, aut tyrannidem, in qua omnis crudelitas consistit, exercuerit, primò secretò secundùm Domini præceptum per fideles legatos semel, bis, & ter de sua emendatione commoneatur, ut si his renisus fuerit, accersitus à fratre coram altero fratre paterno & fraterno amore moneatur & castigetur. Et si hanc salubrem admonitionem penitus spreverit, communi omnium sententia quid de illo agendum sit decernatur; ut quem salubris ammonitio à nefandis actibus revocare non potuit, imperialis potentia communisque omnium sententia coerceret.

X I.

Reçtores verò Ecclesiarum de Francia talem potestatem habeant rerum ad illas pertinentium, sive in Aquitania, sive in Italia, sive in aliis regionibus ac provinciis huic imperio subiectis, qualem tempore genitoris nostri habuerunt vel nostro habere noscuntur.

X II.

De tributis verò & censibus vel metallis, quicquid in eorum potestate exigi vel haberi poterit, ipsi habeant, ut ex his in suis necessitatibus consulant & dona seniori fratri deferenda melius præparare valeant.

X III.

Volumus etiam ut si alicui illorum post decessum nostrum tempus nubendi venerit, ut cum consilio & consensu senioris fratris uxorem ducat. Illud tamen, propter discordias evitandas & occasiones noxias auferendas, cavendum decernimus, ut de exteris gentibus nullus illorum uxorem accipere præsumat. Omnium verò homines, propter pacem artiùs conligandam, ubicunque inter partes elegerint uxores ducant.

X IV.

Si verò alicui illorum decedens legitimus filios reliquerit, non inter eos potestas ipsa dividatur, sed potiùs populus pariter

conveniens unum ex eis, quem Dominus voluerit, eligat; & hunc senior frater in loco fratris & filij suscipiat, & honore paterno sublimato, hanc constitutionem erga illum modis omnibus conservet. De ceteris verò liberis pio amore pertractent qualiter eos more parentum nostrorum salvent & cum consilio habeant.

X V.

Si verò absque legitimis liberis aliquis eorum decesserit, potestas illius ad seniorem fratrem revertatur. Et si contigerit illum habere liberos ex concubinis, monemus ut erga illos misericorditer agat.

X VI.

Si verò alicui illorum contigerit, nobis decessentibus, ad annos legitimos juxta Ribuariam legem nondum pervenisse, volumus ut donec ad præfinitum annorum terminum veniat, quemadmodum modò à nobis, sic à seniore fratre & ipse & regnum ejus procurretur atque gubernetur. Et cum ad legitimos annos pervenerit, juxta taxatum modum sua potestate in omnibus potiatur.

X VII.

Regnum verò Italiae eo modo prædicto filio nostro, si Deus voluerit ut successor noster existat, per omnia subiectum sit sicut & patri nostro fuit, & nobis Deo volente præfenti tempore subiectum manet.

X VIII.

Monemus etiam totius populi nostri devotionem & sincerissimam fidei penè apud omnes gentes famosissimam firmitatem ut si is filius noster qui nobis divino nutu successerit absque legitimis liberis rebus humanis excellerit, propter omnium salutem & Ecclesie tranquillitatem & imperij unitatem in elegendo uno ex liberis nostris, si superstites fratri suo fuerint, eam quam in illius electione fecimus conditionem imitentur, quatenus in eo constituendo non humana sed Dei queratur voluntas adimplenda.



CAPITVLARE AQVISGRANENSE

DE VITA ET CONVERSATIONE MONACHORVM,

S I V E

Conventus Aquisgranensis Abbatum & monachorum regni Francorum, in quo sancita sunt capitula octuaginta ad continendos in officio monachos: quæ cum Principis auctoritate constituta fuissent, ab eoque deinceps approbata, inter ejus Capitularia referri meruerunt. De quibus hæc habet Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib. I. cap. xvi. Ludouvicus Imperator, qui cognominatus est almus vel sanctus, hujus Karoli filius, quarto imperij anno Aquisgrani in palatio cum plurimis totius Francia Abbatibus religiosisque monachis conventum faciens, utilissima nostri ordinis observationi septuaginta & duo generalia capitula constituit; quæ ita ferè omnia apud nos ac si beati Benedicti regula observantur.

Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXVII. imperij verò gloriosissimi Principis Hludouici quarto, vi. Idus Iulias, cum in domo Aquisgrani palatij, quæ Lateranis dicitur, Abbatres complures unâ cum suis resedissent monachis, hæc quæ subsequuntur capitula communi consilio ac pari voluntate inuolabiliter à regulis conservari decreverunt.

INCIPIVNT CAPITVLA.

De Abbatibus, mox ut ad monasteria sua remeaverint, ut regulam discant, & efficaciter legant, & quod legerint & intellexerint, cum suis observent monachis.

Concil.
Troll. c. 3.

I. **V**T Abbates, mox ut ad monasteria sua remeaverint, regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum monachis suis implere studeant.

De monachis, ut regulam sancti Benedicti, qui valuerint, memoriter discant.

II. Vt monachi omnes, qui possunt, regulam memoriter discant.

De regulari officio, ut juxta præceptum sancti Benedicti continetur celebrent monachi.

III. Vt officium juxta quod in regula sancti Benedicti continetur celebrent monachi.

Vt tam in coquina quàmque & in cunctis monasterij officinis monachi operentur, & ut ipsi vestimenta sua lavent.

IV. Vt in coquina, in pistrino, & in ceteris officinis propriis operentur manibus, & vestimenta sua opportuno tempore lavent.

De monachis, ut post matutinalem expletionem, nisi ante constitutam surrexerint horam, denuo ad lectos suos non presumant causa dormiendi redire.

V. Vt nullo unquam tempore post vigiliis causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.

Vt monachi, nisi in sabbato sancto Pasche, per totam quadragesimam non radantur. Alio tempore post finitum quindecim dies licito radantur, tam in sabbatis, quàm & in octavis Pasche.

VI. Vt in quadragesima, nisi in sabbato sancto, non radantur. Alio autem

tempore, semel per quindecim dies radantur, & in octavis Pasche.

De balnearum usu.

VII. Vt balnearum usus in arbitrio Prioris consistat.

De non edendis volatilibus à monachis intus forisve, nisi infirmitatis causa.

VIII. Vt volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant.

Ne Episcopi monachis volatilia comedere præcipiant.

IX. Vt nullus Episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat.

Ne à monachis poma & lactuce, nisi quando alius cibus sumitur, manducentur.

X. Vt poma & lactuce, nisi quando alius sumitur cibus, non comedantur.

De certo tempore phlebotomandi observando.

Et ut monachis tunc ibi cibus potusque magis in supplementum largiatur.

XI. Vt certum phlebotomiae tempus non observent, sed unicuique secundum quod necessitas exposulat concedatur, & specialis in cibo & in potu tunc consolatio præbeatur.

Vt si necessitas postulaverit, monachis post vespertinum cibum ante lectionem completorium potus tribuatur. Similiter quadragesimali tempore, vel quando mortuorum officium egerint.

XII. Vt si necessitas poposcerit ob operis laborem, post refectionem vespertinam, etiam & in quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completorii legatur, bibant.

De monacho à Priore suo increpato.

XIII. Vt cum à quocunque Priore suo increpatus quis eorum fuerit, *Mea culpa* primo dicat, dehinc prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat. Et tunc iubente Priore surgat, & unde interrogatus fuerit rationem humiliter reddat.

Vt nudi pro qualibet culpa coram aliis non vapulent monachi.

XIV. Vt nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtulibus non flagellentur.

Ne soli in itinere dirigantur monachi.

XV. Vt soli sine alio fratre in viam non dirigantur.

Ne sibi compadres vel commatres monachi faciant.

XVI. Vt sibi compadres commatresve non faciant, neque ofculentur feminas.

Gratian. dist. 4. De consecrat. c. 104. Monachi.

Tom. I.

Ne marmurent monachi tempore legendi & meridiano occupati ad colligendas fruges.

XVII. Vt si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, constitutum legendi & meridie paufandi tempus præmittatur, & operantes non marmurent.

De monachis quarta & sexta feria jejnantibus.

XVIII. Vt quarta & sexta feria jejnantes, ante nonam, aut post nonam, si necessitas fuerit, iuxta Prioris arbitrium, levia opera exercent.

Vt in quadragesimali tempore monachi libros accipiant.

XIX. Vt in quadragesima libris de bibliotheca secundum Prioris dispositionem acceptis, alios, nisi Prior decreverit expedire, non accipiant.

De vestimento monachis nec satis pretioso nec satis vili dando.

XX. Vt eis vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.

De cuculle mensura.

XXI. Vt mensura cuculle duobus consistat cubitis.

De potestate Abbatis, si extra mensuram infra postam aliquid addendum decreverit.

XXII. Vt si infra positæ mensuræ quantitatem decreverit Abbas causa necessitatis quippiam augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino provideat, ut camisas duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unusquisque monachorum habeat; quibus verò necesse est addatur & tertia, & pedules quatuor paria, & femoralia duo paria, rocum unum, pellicias usque ad talos duas, fasciolas duas, quibus autem necesse est itineris causa, alias duas, vuantos in æstate, muffulas in hyeme vervecinas, calciamenta diurna paria duo, subalares per noctem in æstate duas, in hyeme verò foccos, saponem & uncturam sufficienter, pinguedinem ad esum; excepto sexta feria & viginti diebus ante nativitatem Domini, & septimana illa quæ ante quadragesimam vocatur quinquagesima. Vbi autem vinum non est unde emina detur, dupplicem mensuram de cervisia bona. Et quæcunque præter hæc regula iubet, singuli, cum necessitas postulaverit, absque dilatione accipiant.

De pedibus fratrum vicissim lavandis.

XXIII. Vt in quadragesima, sicut & in alio tempore, vicissim sibi pedes lavent, & antiphonas huic officio con-

O o ij

gruentes decantent. In cœna verò Domini pedes fratrum, si valet, Abbas lavet & osculetur, & demum propria manu poculum eis porrigat.

De mandato post cœnam faciendo.

XXIV. Vt mandatum, si tempus cœnæ est, tam fratrum quàm etiam peregrinorum post cœnam fiat.

De mensura monachorum, ut ea Abbates illorum sint contenti.

XXV. Vt ea quam monachi sui habent mensura sint Abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, quando in aliis utilitatibus non fuerint occupati.

De villis fratrum, ut eas non circumstant monachi.

XXVI. Vt villas frequenter & nisi necessitas coegerit, non circumstant, neque suis illas monachis custodiendas committant. Et si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio ad sua mox monasteria redeant.

De Abbate vel quolibet monacho, ne ad portam monasterij cum quocunque hospite manducare presumat.

XXVII. Vt Abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterij cum hospitibus non reficiant. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit quam reliqui fratres accipiunt. Si verò propter hospitalitatem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibi que augere aliquid, in sua maneat potestate.

Ne servitores fratrum post refectioem eorum ad unam mensam, sed in propriis sedeant locis.

XXVIII. Vt servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis, post refectioem fratrum reficiant, quibus eadem lectio quæ fratribus recitata est recitetur.

De lectore, ut nihil nisi quod regula decernit accipiat.

XXIX. Vt nihil lectori nisi quod regula jubet detur.

De Alleluya in septuagesima dimittendo.

XXX. Vt Alleluya in septuagesima dimittatur.

De Præposito, ut majorem quàm ceteri habeat potestatem.

XXXI. Vt Præpositus intra & extra monasterium post Abbatem majorem reliquis Abbati subditis habeat potestatem.

De Præposito monachis non constituendo nisi & ipse monachus sit.

XXXII. Vt monachis non nisi monachus constituatur Præpositus.

De senioribus fratribus monasterium circumeuntibus.

XXXIII. Vt de senioribus monasterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in monasterio propter custodiam remaneant.

De novitio fratre, ut non facilis ei in monasterium tribuatur ingressus.

XXXIV. Vt novitio non facilis in monasterio tribuatur ingressus, & ut in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus. Res verò, si quas habet, parentibus suis commendet. Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit inde faciat. Ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat.

De monacho, quid agat post factam professionem.

XXXV. Vt monachus, professione facta, tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.

De puero, ut pater & mater eum ad altare offerant.

XXXVI. Vt puerum pater aut mater tempore oblationis offerant ad altare, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.

De infantibus oblati, ut carnem non comedant.

XXXVII. Vt infantes oblati carnem non nisi causa infirmitatis manducent.

De fratribus post sextam dormientibus.

XXXVIII. Vt quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in Ecclesia aut in lecto suo legat.

De fratribus, ut usque nonam in quadragesima operentur.

XXXIX. Et in quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus Missa celebrata tempore congruo reficiant.

De his fratribus qui quolibet modo, tamen graviter delinquant.

XL. Vt domus semota his qui fugere, aut pugnis baculisve inter se voluerint configere, aut quibus ex integro factæ sunt regulares disciplinae, habeatur hujusmodi qua in hyeme ignis possit accendi, & atrium juxta sit in quo valeant quod eis injungitur operari.

De eo qui in refectorio negligenter coram fratribus aliquid excesserit.

XL I. Vt si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox à Priore veniam petat.

De plebeio non recipiendo in monasterio, nisi monachus fieri voluerit.

XL II. Vt nullus plebeius seu Clericus secularis in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus.

Ne monachus jurando sermonem proferat, nisi sicut sancti patres constituerunt loqui.

XL III. Vt nemini liceat sermonem juramenti aut affirmationis proferre, nisi sicut sancti patres soliti fuerunt loqui.

De Abbatibus cellulas monachorum vel Canonicorum habentibus.

XL IV. Vt Abbatibus liceat habere cellas in quibus aut monachi sint aut Canonici. Et Abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat quam sex.

De schola in monasterio non habenda nisi de his qui oblati fuerint.

XL V. Vt schola in monasterio non habeatur nisi eorum qui oblati sunt.

De precipuis solemnitatibus sanctorum, ut plenarium in eis officium fiat, & his monachi edant.

XL VI. Vt in precipuis solemnitatibus, id est, in natale & in octavis Domini, in Epiphania, in Pascha quoque, & Ascensione Domini, & in Pentecosten, & in sanctorum festivitatibus, id est, sancti Stephani, & in beati Iohannis Evangeliste, & in natale infantium, in Purificatione & Assumptione sancte Mariæ, similiter & in beatorum Apostolorum festis, & in sancti Iohannis Baptiste nativitate, in sancti quoque Laurentij atque Martini, seu in natalis cujuscumque sancti cujus honor in qualicumque parrochia specialiter celebratur, plenarium officium agatur, & bis reficiatur.

De jejunio Parasceve.

XL VII. Vt in Parasceve non aliud nisi panis & aqua sumatur.

De benedictione post completorium dicenda.

XL VIII. Vt benedictio post completorium à sacerdote dicatur.

De decimis dandis tam Ecclesie quam pauperibus.

XL IX. Vt de omnibus in elemosynam datis tam Ecclesie quam fratribus decimæ pauperibus dentur.

De specialibus psalmis pro elemosynariis & defunctis cantandis.

L. Vt prætermittis partitionibus psal-

terij, psalmi speciales pro elemosynariis & defunctis cantentur.

De Pentecoste, ut per hebdomadam non flectantur genua, neque jejunetur, nisi dies jejuniij extiterint.

L I. Vt in hebdomada Pentecosten non flectantur genua & non jejunetur, nisi statuti fuerint dies jejuniij.

De laicis in refectorium monachorum manducandi vel bibendi causa non ducendis.

L II. Vt laici causa manducandi ac bibendi in refectorium non ducantur.

De vestimentis & calciamentis, ut fratribus quoties expedit dentur.

L III. Vt quoties expedit necessitas, vestimenta & calciamenta & omnia necessaria fratribus dentur.

De his qui præponuntur, ut nonni vocentur.

L IV. Vt qui præponuntur, nonni vocentur.

De seniore Decano.

L V. Vt senior Decanus reliquis Decanis præponatur, & Abbate vel Præposito præfente locum proprium teneat.

De Præposito, Decano, & Cellarario.

L VI. Vt Præpositus, Decanus, Cellararius de eorum ministerio, nisi causa utilitatis aut necessitatis, non removeantur.

De libra panis, ut triginta solidos penset antequam coquantur.

L VII. Vt libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur.

De dormitorio hospitum.

L VIII. Vt dormitorio juxta oratorium constituatur ubi supervenientes monachi dormiant.

De Abbatibus, ut secum monachos in itinere non nisi ad synodum ducant.

L IX. Vt Abbates monachos secum in itinere, nisi ad generalem synodum, non ducant.

De duobus signis ad tertiam, sextam, & nonam pulsandis.

L X. Vt duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsantur.

De monachis, ut disconfutas cappas non habeant, nisi tantum villosas.

L XI. Vt monachi cappas disconfutas præter villosas non habeant.

De Abbatibus & Præpositis atque Decanis, ut benedictionem lectoribus tribuant, licet Presbyteri non sint.

L XII. Vt Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamvis Presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.

Vt è fratribus docti eligantur qui supervenientibus monachis loquantur.

LXIII. Vt docti fratres eligantur qui cum supervenientibus monachis loquantur.

De incerto furto ut oratio & excommunicatio fiat, quousque qui culpabilis existit manifestetur.

LXIV. Vt de furto incerto oratio & excommunicatio à corpore & sanguine Christi fiat quousque culpabilis confiteatur.

De monacho qui adversus monachum alium testimonium protulerit.

LXV. Vt si frater adversus fratrem pro qualibet culpa testimonium protulerit, fratri perfectioni credatur.

De psalmo invitatorio & Gloria pro defunctis non cantandis.

LXVI. Vt psalmus invitatorius & Gloria pro defunctis non cantetur.

De lectione, ut suam benedictionem petat.

LXVII. Vt lector stando benedictionem postulet.

De eulogiis in refectorio fratribus à Presbyteris dandis.

LXVIII. Vt eulogiæ fratribus à Presbyteris in refectorio dentur.

Quod ad Capitulum primò Martyrologium legendum sit, & versus postea dicendus, inde regula.

LXIX. Vt ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur versus, deinde regula, aut homelia quælibet legatur. Deinde *Tu autem Domine* dicatur.

De lectione in Capitulo exponenda.

LXX. Vt ad Capitulum lectio tradatur, similiter ad conlationem, si tempus fuerit opportunum.

De jejuniis fratrum æstivo tempore.

LXXI. Vt quando fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant.

De eo qui culpa noxa tenetur, ut die dominico remissius habeat.

LXXII. Vt is qui noxæ culpa tenetur, die dominico remissius habeat, & veniam non petat.

De anniversaria die pro defuncto Abbate celebranda.

LXXIII. Vt pro Abbate defuncto anniversarium fiat officium.

De eo ut ad Missam inclinari Sanctus dicant, & ad Pater noster genua flectant.

LXXIV. Vt ad Missam Sanctus stantes & Pater noster genua flectentes dicant.

Non debet aliquis pro munere in monasterio recipi.

LXXV. Vt nullus pro munere recipiatur in monasterio, nisi quem bona voluntas & morum commendat probitas.

De mensura cibi ac potus, quæ separatim monachis debet tribui.

LXXVI. Vt unicuique fratri in cibo & in potu sua mensura separatim detur, & de ipsa mensura sibi data alicui nihil tribuat.

De fratrum pinguedine, quam accipere debeant in victu quotidiano.

LXXVII. Vt fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepto sexta feria, & diebus octo ante natale Domini, & à quinquagesima usque ad Pascha.

In natale Domini, & in festivitate Pasche, monachis volatilia sumere quatuor diebus concessum est.

LXXVIII. Vt volatilia in natale Domini & in Pascha tantum quatuor diebus, si est unde, comedant. Si verò non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem Abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.

De mussulis monachis dandis.

LXXIX. Vt mussulæ vervecinæ fratribus dentur.

De disciplina modo.

LXXX. In doctrina sua Abbas apostolicam debet illam semper formulam servare, in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa.* Id est, indisciplinatos & inquietos debet, durius arguere, obediens autem & mites & patientes ut in melius proficiant obsecrare. Negligentes verò & contemnentis ut increpet & corripiat admonemus; neque dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut ceperint oriri, radicitus ea ut prævalet amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Improbos autem & duos ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat, sciens scriptum: *Stultus verbis non corrigitur.* & iterum: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam ejus à morte.* In omnibus igitur omnes magistrum sequantur regulam, neque ab ea temerè declinetur à quocquam. Nullus in monasterio proprii cordis sequatur voluntatem, neque præsumat quicquam cum Abbate suo protervè infra monasterium aut foris contendere. Quod si præsumperit, regulari disciplinæ subjaceat. Si quis frequenter cor-

Regula 5.
Benedicti
c. 2.
1. Tim. 4.

Plov. 31.

reptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei cedat correctio, id est, verberum vindicta in eum procedant. Similiter & qui praesumpserit claustra monasterij egredi

vel quocunque ire, vel quippiam, quamvis parum, sine iussione Abbatis facere, vindicta regulari subiaceat. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant.

NOTITIA

De monasteriis quæ Regi militiam, dona, vel solas orationes debent, scripta in eodem conventu Aquisgranensi.

ANno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXVII. Hludouicus serenissimus Augustus divina ordinante providentia conventum fecit apud Aquis sedem regiam Episcoporum, Abbatum, seu totius senatus Francorum; ubi inter ceteras dispositiones imperij statuit atque constitutum scribere fecit quæ monasteria in regno vel imperio suo dona & militiam facere possunt, quæ sola dona sine militia, quæ verò nec dona nec militiam sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus & stabilitate imperij.

Hæc sunt quæ dona & militiam facere debent, numero XIV.

VLTRA RHENVM.

Monasterium sancti Benedicti.
Monasterium Ferrarias.
Monasterium Nigelli.
Monasterium sanctæ Crucis.
Monasterium Corbeia.
Monasterium sanctæ Mariæ Sueffionis.
Monasterium Stabulaus.
Monasterium Flaviniacum.
Monasterium sancti Eugendi.
Monasterium Novalicium.

Monasterium Suarizaha.
Monasterium sancti Bonifacij.
Monasterium sancti Vvigherti.

IN ALEMANNIA.

Monasterium Clehenuvanc.
Monasterium Fruhelinuvanc.
Monasterium Nazaruda.
Monasterium Campita.

IN BAVARIA.

VLTRA RHENVM.
Monasterium sancti Nazarij.
Monasterium Offunvilarij.

Monasterium Altemburc.
Monasterium Alcabe.
Monasterium Creausa.
Monasterium Mathasco.
Monasterium Buria.

IN BAVARIA.

Monasterium Manaufer.
Monasterium Tegnauser.

Hæc sunt quæ nec dona nec militiam dare debent, sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus & stabilitate imperij, numero XVIII.

Hæc sunt quæ tantum dona dare debent sine militia, numero XVI.

Monasterium sancti Michaëlis marisci primi.
Monasterium Balma.
Monasterium sancti Sequani.
Monasterium Natradis.

Monasterium Melaredum.
Monasterium Fossatus.
Monasterium Luda.
Monasterium sancti Gregorij.
Monasterium sancti Mauri.
Monasterium Eborreheim.
Monasterium Clinga.

Monasterium Saviniaco.
Monasterium Crudatis.
Monasterium Dufera.
Monasterium Loruvim.

V L T R A R H E N V M .

Monasterium Sceuvanc.
Monasterium Sculturbura.

I N B A V A R I A .

Monasterium Berch.
Monasterium Mechema.
Monasterium Scovenauva.
Monasterium Alofeburch.
Monasterium Vveizzenbrunico.

I N A Q V I T A N I A .

Monasterium sancti Philiberti.
Monasterium sancti Maxentij.
Monasterium Carroffinij.
Monasterium Brantofmuri.
Monasterium sancti Savini.
Monasterium sanctæ Crucis puellarum.
Monasterium sanctæ Mariæ in Lemovicis.
Monasterium Mastracurij.
Monasterium Menadinij.
Monasterium Magnilocum.
Monasterium Conquas.
Monasterium sancti Antonij.
Monasterium Musciacum.

I N S E P T I M A N I A .

Monasterium S. Ægidij in valle Flaviana.
Monasterium Pſalmodium.
Monasterium Anianum.
Monasterium sancti Tiberij.
Monasterium Villamagna.
Monasterium sancti Petri in Lunate.
Monasterium Caunas.
Monasterium Castrelli malafci.
Monasterium sanctæ Mariæ Capariensis.
Monasterium sanctæ Mariæ ad Orubionem.
Monasterium sancti Laurentij.
Monasterium sanctæ Eugeniæ.
Monasterium sancti Hilarij.
Monasterium Valle Asperij.

I N T O L O S A N O .

Monasterium sancti Papuli.
Monasterium Suricinum.
Monasterium Afiso.
Monasterium Venercha.

I N V V A S C O N I A .

Monasterium Cella fraxilij.
Monasterium Cimorra.
Monasterium Piciano.
Monasterium Altum fragitum.
Monasterium sancti Savini.

Hic prædictis monasteriis præfatus Imperator, sicut supradictum est, statutum scribi fecit, atque manu sua firmavit, & anulo suo imperiali sigillare fecit.

D E C R E T V M C O N F I R M A T I O N I S .

Quo Ludovicus Pius Imperator donationes Ecclesiæ Romanæ ab avo suo Pippino Rege & à patre Karolo Magno Imperatore factas Paschali Papæ confirmavit.

Ivo par. 5.
c. 111.
Dihl. 61. c.
30. Ego Ludovicus.

I N nomine Domini Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego Hludouvicus Imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi Apostolorum, & per te Vicario tuo Domno Paschali summo Pontifici & universali Papæ & successoribus ejus in perpetuum, sicut à prædecessoribus nostris usque nunc in vestra potestate & dictione tenuistis & disposuistis, civitatem Romanam cum ducatu suo & suburbanis atque viculis omni-

bus & territoriis ejus montanis & maritinis littoribus & portibus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis in Tusciæ partibus, id est, Portum, Centumcellas, Care, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepe, Castellum Gallesij, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perusium, cum aliis tribus insulis suis, id est, majorem & minorem, Pulvensam, & Lacum, Narniam, Otriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad supradictas civitates pertinentibus.

Simili

Simili modo & in partibus Campaniæ Signiam, Anagninam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Frusinonem, cum aliis partibus Campaniæ, necnon & Tibur, cum omnibus finibus & territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Necnon & exarchatum Ravennatensem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis que piæ recordationis Dominus Pippinus Rex ac bonæ memoriæ genitor noster Karolus Imperator beato Petro Apostolo & prædecessoribus vestris jamdudum per donationis paginam restituerunt, hoc est, civitatem Ravennam & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum Pompilij, Forum Livij, Faudentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, & Gabelum, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis in terra marique ad prædictas civitates pertinentibus. Simulque & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Humanam, Æsium, Forum Sempronij, Montem Feretri, Vrbium, & territorium Valvense, Calles, Luceolos, Eugubium, cum omnibus finibus ac terris ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut à genitore nostro Karolo Imperatore beato Petro Apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, quemadmodum ab Itherio & Macenano Abbatibus, Missis illius, inter idem territorium Sabinense & Reatinum definitum est. Item in partibus Tusciæ Longobardorum, Castellum Felicitatis, Vrbevetum, Balneum Regis, Ferenti Castrum, Viterbium, Martam, Tuscaniam, Populonium, Soanam, Rosellas. Et insulas Corsicam & Sardiniam & Siciliam sub integritate, cum omnibus adjacentibus & territoriis maritimis, littoribus, portibus ad prædictas civitates & insulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, & patrimonium ad potestatem & ditionem nostram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum, & Salernitanum, & patrimonium Calabriae inferioris & superioris, & patrimonium Neapolitanum, & ubicunque in partibus regni atque imperij à Deo nobis commissi patrimonium nostra esse noscuntur. Has omnes prædictas provincias, urbes, civitates, oppida & castella, viculos & territoria, simulque & patrimonium, jam dictæ Ecclesiæ tuæ, beate Petre

Tom. I.

Apostole, & per te Vicario tuo spirituali patri nostro Paschali summo Pontifici & universali Papæ ejusque successoribus usque ad finem seculi eo modo confirmamus ut in suo detineant jure, principatu, ac ditione. Simili modo per hoc nostrum confirmationis decretum firmamus donationes quas piæ recordationis Dominus Pippinus Rex avus noster & postea Dominus & genitor noster Karolus Imperator beato Petro Apostolo spontanea voluntate contulerunt. Necnon & censum & pensiones seu ceteras donationes que annuatim in palatium Regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia Longobardorum, sive de ducatu Spoletano, sicut in superscriptis donationibus continetur, & inter sanctæ memoriæ Hadrianum Papam & Dominum & genitorem nostrum Karolum Imperatorem convenit, quando eidem Pontifici idem de superscriptis ducatibus, id est, Tuscano & Spoletano, suæ auctoritatis præceptum confirmavit. Eo scilicet modo, ut annis singulis superscriptus census Ecclesiæ beati Petri Apostoli persolvatur, salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione & illorum ad nostram partem subjectione. Ceterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita ad nostram partem per hoc nostræ confirmationis decretum roboramus ut in vestro vestrorumque successorum permanent jure, principatu, atque ditione, ut neque à nobis neque à filiis & successoribus nostris per quodlibet argumentum sive machinationem in quacunque parte minuatur vestra potestas, aut vobis de superscriptis omnibus vel successoribus vestris inde aliquid subtrahatur, de superscriptis videlicet urbibus, provinciis, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis, atque patrimoniis, necnon & pensionibus atque censibus; ita ut neque nos ea subtrahamus, neque quilibet subtrahere volentibus consentiamus, sed potius omnia que superius leguntur, id est, provincias, civitates, urbes, oppida, castella, territoria, patrimonium, atque insulas, census, ac pensiones Ecclesiæ beati Petri Apostoli & Pontificibus in sacratissima illius sede in perpetuum residentibus, in quantum possumus, defendere nos promittimus, ad hoc ut omnia ea in illius ditione ad utendum & fruendum atque disponendum firmiter valeat obtinere; nullamque in eis nobis partem aut potestatem disponendi aut judi-

P p

candi subtrahendive aut minorandi vendicamus, nisi quando ab eo qui illo tempore hujus sanctæ Ecclesiæ regimen tenuerit rogati fuerimus. Et si quilibet homo de supradictis civitatibus ad vestram Ecclesiam pertinentibus ad nos venerit, subtrahere se volens de vestra jurisdictione vel potestate, vel quamlibet aliam iniquam machinationem metuens, aut culpam commissam fugiens, nullo modo eum aliter recipiemus nisi ad justam pro eo faciendam intercessionem, ita duntaxat si culpa quam commisit venialis fuerit inventa, sin aliter, comprehensum vestræ potestati eum trademus, exceptis his qui violentiam vel oppressionem potentium passi ideo ad nos veniant ut per nostram intercessionem justitiam accipere mereantur; quorum altera conditio est, & à superioribus valde disjuncta. Et quando divina vocatione hujus sacratissimæ sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex regno nostro aut Francus aut Longobardus aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus licentiam habeat contra Romanos aut publicè aut privatim veniendi aut electionem faciendi; nullusque in civitatibus vel territoriis ad Ecclesiam beati Petri pertinentibus aliquod malum propter hoc facere præsumat. Sed liceat Romanis cum omni veneratione & sine aliqua perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere

sepulturam, & eum quem divina inspiratione & beati Petri intercessione omnes Romani uno consilio atque concordia sine aliqua promissione ad pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate & contradictione more canonico consecrari. Et cum consecratus fuerit, legati ad nos vel ad successores nostros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam & caritatem ac pacem societ, sicut temporibus piæ recordationis Domni Karoli atavi nostri, sive Domni Pippini avi nostri, vel & Karoli Imperatoris genitoris, consuetudo erat faciendi. Hoc autem ut ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris firmum esse credatur, firmiusque per futuras generationes & secula ventura custodiat, propriæ manus signaculo & venerabilium Episcoporum atque Abbatum vel optimatum nostrorum sub jurejurando & subscriptionibus pactum istud nostræ confirmationis roboravimus, & per legatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theodorum Nomenclatorem Domino Paschali Papæ direximus.

Ego Ludovicus misericordia Dei Imperator subscripsi.

Et subscripserunt tres filij ejus, & Episcopi decem, & Abbates octo, & Comes quindecim, & Bibliothecarius unus, & Mansionarius unus, & Ostiarius unus.



CAPITVLARE PRIMVM
ANNI DCCCXIX.

S I V E

Capitula addita ad legem Salicam in generali populi conventu habito apud Aquisgranum post natale Domini anno quinto imperij Ludovici Pij desinente.

Hæc capitula Dominus Hludovicus Imperator anno imperij sui quinto cum universo cætu populi in Aquisgrani palatio promulgavit atque legi Salicæ addere præcepit. Ipseque postea, cum in Theodonis villa generalem conventum habuisset, ulterius capitula appellanda esse prohibuit, sed ut lex tantum dicerentur voluit.

INCIPIUNT CAPITVLA.

- | | |
|---|--|
| 1. D E honore Ecclesiarum. | 11. De proprio in bannam misso. |
| 2. De injuriis sacerdotum in Ecclesiis factis. | 12. De manire. |
| 3. De viduis & pupillis & pauperibus. | 13. De fideis coercendis. |
| 4. De rapto viduarum. | 14. Vbi sacramenta juranda sint. |
| 5. De homine publicam penitentiam agente interfecto. | 15. De his qui de furto accusati fuerint. |
| 6. Vt omnis homo liber potestatem habeat ubiqueque voluerit res suas dare pro salute anime sue. | 16. De dispectu litterarum dominicarum. |
| 7. De homicidiis prohibendis. | 17. De injuriis veloneis & consuetudinibus. |
| 8. Quid in compositione vuirgildi dari debeat. | 18. De his qui bonos denarios accipere nolunt. |
| 9. De rapto alienarum sponzarum. | 19. De adulteratoribus monetæ. |
| 10. De falsis testibus convincendis. | 20. De proprio dominico sine iustione illius reddito. |
| | 21. De pueris inuitis parentibus detonsis & puellis velatis. |

INCIPIUNT SVPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

De honore Ecclesiarum.

IV. 1. **S**I quis aut ex levi causa aut sine causa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & unus alterum in Ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis per sacramentum adfirmet se defendendo eum interfecisse, & post hæc sexcentos solidos ad partem Ecclesiæ quam illo homicidio polluerat & insuper bannum nostrum solvere cogatur; is verò qui interfectus est

absque compositione jaceat, ac deinde interfector secundum judicium canonicum congruam facinori quod admisit penitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examine tur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, dominus ejus juxta quod vuirgildus illius est ad Ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino & beneficiario servo volumus ut pro una vice vuirgildus ejus pro eo componatur, altera vice ipse servus ad suppli-

Tom. I.

P p ij

cium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio Ecclesie, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero porta Ecclesie non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur sicut componi debet quod in immunitate violata committitur.

De iniuriis sacerdotum in Ecclesiis factis.
Ibid. 74. II. Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum fuste, si Presbyter fuerit, triplo componatur, duas partes eidem Presbytero, tertia pro fredo ad Ecclesiam, & insuper bannus noster. Similiter de Diacono juxta compositionem ejus in triplo cum banno nostro componatur. De Subdiacono similiter in triplo secundum suam compositionem. Et de uniuscujusque ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplum persolvatur, & insuper bannus noster. Similiter & de ictu sine sanguinis effusione de uniuscujusque ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo, & bannus noster. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitium eidem Ecclesie usque dum totum debitum persolvat.

De viduis & pupillis & pauperibus.
Ibid. 16. III. Ut quodcumque in mallum ante Comitem venerint, primo eorum causa audiatur & definiatur. Et si testes per se ad causas suas querendas habere non poterint, vel legem nescierint, Comes illos vel illas adjuvet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat, vel pro eis loquatur.

De rapta viduarum.
Ibid. 17. IV. Qui viduam intra proximos triginta dies viduitatis sue vel invitam vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum id est sexaginta solidos in triplo componat. Et si invitam eam duxit, legem suam ei componat, illam vero ulterius non attingat.

De homine publicam penitentiam agente interfecto.
Ibid. 18. V. Qui hominem publicam penitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & virgildum ejus proximis ejus persolvat.

Ut omnis homo liber potestatem habeat ubicunque voluerit res suas dare pro salute anime sue.

Ibid. 19. VI. Si quis res suas pro salute anime

sue vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo suo, vel cuilibet alteri tradere voluerit, & eo tempore intra ipsum comitatum fuerit in quo res illa positae sunt, legitimam traditionem facere studeat. Quod si eodem tempore quo illas tradere vult extra eundem comitatum fuerit, id est, sive in exercitu, sive in palatio, sive in alio quolibet loco, adhibeat sibi vel de suis pagensibus, vel de aliis qui eadem lege vivant qua ipse vivit, testes idoneos, vel si illos habere non poterit, tunc de aliis quales ibi meliores inveniri possint, & coram eis rerum suarum traditionem faciat, & fidejussores vestiturae donet ei qui illam traditionem accipit ut vestituram faciat. Et postquam haec traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de praedictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper & ipse per se fidejussionem faciat ejusdem vestiturae, ne heredi ulla occasio remaneat hanc traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficiendi. Et si nondum res suas cum coheredibus suis divisas habuit, non ei hoc sit impedimento, sed coheres ejus, si sponte noluerit, aut per Comitem aut per Missum ejus distringatur ut divisionem cum illo faciat ad quem defunctus hereditatem suam voluit pervenire. Et si cuilibet Ecclesie eam tradere rogavit, coheres ejus eam legem cum illa Ecclesia de praedicta hereditate habeat quam cum alio coherede suo habere debebat. Et hoc observetur erga patrem & filium & nepotem usque ad annos legitimos. Postea ipsae res ad immunitatem ipsius Ecclesiae redeant.

De homicidiis prohibendis.
VII. Quicumque hominem aut ex levi causa aut sine causa interfecerit, virgildum ejus his ad quos ille pertinet componat. Ipse vero propter talem praesumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit. Res tamen suas non amittat.

Quid in compositione virgildi dari debeat.
VIII. In compositionem virgildi volumus ut ea dentur quae in lege continentur, excepto accipitris & spata, quia propter illa duo aliquoties perjurium committitur, quando majoris pretij quam illa sint esse jurantur.

De raptu alienarum sponsum.
IX. Si quis sponsum alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legibus ejus defensor esse debet, cum sua lege eam reddat, & quicquid cum ea tulerit, semotim

unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor ejus perpetrari consenserit, & ideo raptori nihil querere voluerit, Comes singillatim de unaquaque re freda nostra ab eo exactare faciat. Sponso verò legem suam componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos solvat, vel in presentiam nostram Comes eum advenire faciat, & quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, & illam feminam ei habere non liceat.

De falsis testimoniis convincendis.

Ibid. 23.

X. Si quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit, & testes contra eum per iudicium producti fuerint, si ille falsos eos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testimonium perveritas superetur. Quod si ambæ partes testimonium ita inter se dissenserint ut nullatenus una pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis & fufibus in campo decertent utra pars falsitatem, utra veritatem suo testimonio sequatur. Et campioni qui victus fuerit, propter perjurium quod ante pugnam commisit, dextera manus amputetur. Ceteri verò ejusdem partis testes, qui falsi apparuerint, manus suas redimant. Cujus compositionis duæ partes ei contra quem testati sunt dentur, tertia pro freda solvatur. Et in seculari quidem causa hujusmodi testimonium diversitas campo comprobetur. In ecclesiasticis autem causis, ubi de una parte seculare, de altera verò ecclesiasticum negotium est, idem modus observetur. Vbi verò ex utraque parte ecclesiasticum fuerit, rectores earundem Ecclesiarum, si se familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem de hujusmodi pacificatione inter eos convenire non possunt, advocati eorum in mallo publico ad presentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentio-nibus imponatur. Testes verò de qualibet causa non aliunde querantur nisi de ipso comitatu in quo res unde causa agitur posita sunt: quia non est credibile ut vel de statu hominis vel de possessione ejuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat quam per illos qui viciniore sunt. Si autem contentio quæ inter eos exorta est, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis comitatus ad causam suam testes habere.

De proprio in bannum missio.

Ibid. 24.

XI. Cujuscunque hominis proprietas ob crimen aliquod quod idem habet commissum in bannum fuerit missa, & ille re cognita, ne justitiam faciat, venire distulerit, annūque ac diem in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non adquirat, sed ipsa fisco nostro societur. Debitum verò quod is cuius ea fuit solvere debuit, per Comitem ac ministros ejus juxta estimationem damni de rebus mobilibus quæ in eadem proprietate invente fuerint, his quibus idem debitor fuit solvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non suffecerit, de immobilibus suppleatur, & quod super fuerit, sicut dictum est, fisco noster possideat. Si nihil super compositionem remanere potuerit, totum in illam expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus proprium suum divisum habuit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam divisionem faciat, & tunc, sicut jam dictum est, partem ejus fisco nostro addicat, & compositionem de ea, juxta modum superius comprehensum, his ad quos illa legibus pertinet ex solvat. Quod si non de alia re, sed de ipsa proprietate quæ in bannum missa fuit, ac per hoc in nostram potestatem redacta est, fuerat interpellatus, Comes in cuius ministerio eam esse constiterit hoc ad notitiam nostram perferre curet, ut nos eandem proprietatem, quæ secundum supradictum modum in nostrum dominium redacta est, per præcepti nostri auctoritatem in jus & potestatem hominis qui eam quærebat, si sua esse debet faciamus pervenire.

De manniere.

Ibid. 25.

XII. Si quis de statu suo, id est, de libertate vel de hereditate compellendus est, juxta legis constitutionem manniatur. De ceteris verò causis, unde quis rationem est redditurus, non manniatur, sed per Comitem bannatur. Et si post unam & alteram Comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus ejus in bannum missis venire & justitiam facere compellatur.

De fidei coërendis.

Ibid. 27.

XIII. Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, Comes in cuius ministerio res perpetrata est, & compositionem solvere & fideam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est,

aut ille qui homicidium commisit, aut is qui compositionem suscipere debet, faciat illum Comes qui ei contumax fuerit ad presentiam nostram venire, ut cum ad tempus quod nobis placuerit in exilium mittamus, donec ibi castigetur, ut Comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, & majus damnum inde non adcreseat.

Vbi sacramenta juranda sint.

Ibid. 18. XIV. Vbi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adhramire vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi sacramenta jurentur. Mallus tamen neque in Ecclesia neque in atrio ejus habeatur. Minora verò placita Comes sive intra suam potestatem vel ubi impetrare potuerit habeat. Volumus utique ut domus à Comite in loco ubi mallum tenere debet construat, ut propter calorem solis & pluviam publica utilitas non remaneat.

De his qui de furto accusati fuerint.

Ibid. 19. XV. Si liber homo de furto accusatus fuerit, & res proprias habuerit, in mallo ad presentiam Comitis se adhramiat. Et si res non habet, fidejussores donet qui eum adhramire & in placitum adduci faciant. Et liceat ei prima vice per sacramentum se secundum legem idoneare, si potuerit. At si alia vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut eum sacramento excuset, nisi tale furtum perpetratum habeat propter quod ad supplicium tradi debeat.

De dispectu litterarum dominicarum.

Ibid. 10. XVI. Si quis litteras nostras dispexerit, id est, tractoriam quæ propter Missos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco ubi prædictos Missos suscipere debuit tamdiu resideat & de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui verò epistolam nostram quocumque modo dispexerit, jussu nostro ad palatium veniat, & juxta voluntatem nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber vel ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem, qualemcumque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palium vapulet, & caput ejus tondeatur.

De injustis teloneis & consuetudinibus.

Ibid. 11. XVII. Vt ubi tempore avi nostri Dom-

ni Pippini consuetudo fuit teloneum dare, ibi & in futurum detur. Nam ubi noviter inceptum est, ulterius non agatur. Et ubi necesse non est fluvium aliquem per pontem transire, vel ubi navis per mediam aquam aut sub pontem ierit, & ad ripam non adpropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum vel venundatum fuerit, ulterius teloneum non detur. Et nemo cogat alium ad pontem ire, ubi juxta pontem aquam transire potest. Et qui ulterius in talibus locis, vel de his qui ad palatium seu in hostem pergunt, teloneum exactaverit, cum sua lege ipsum teloneum reddat, & bannum nostrum id est sexaginta solidos componat.

De his qui bonos denarios accipere nolunt.

XVIII. Quicumque liber homo denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum id est sexaginta solidos componat. Si verò servi ecclesiastici aut Comitum aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, sexaginta ictibus vapulent. Aut si magister eorum vel advocatus, qui liber est, eos vel Comiti vel Misso nostro justis presentare noluerit, prædictum bannum nostrum id est sexaginta solidos componat.

De adulteratoribus moneta.

XIX. De falsa moneta jubemus ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui hoc consensit, si liber est, sexaginta solidos componat. Si servus est, sexaginta ictus accipiat.

De proprio dominico sine jussione illius reddito.

XX. Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra jussione reddiderit, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat. Et quicumque illud scienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promissit, irritum fecit, & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem dijudicandus est.

De pueris invitis parentibus detonsis & puellis velatis.

XXI. Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat, aut ipsi puero vel puellæ, si jam suæ potestatis sunt, aut illi in cujus potestate fuerint. Illi verò potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permancant qualis eis complacuerit.

CAPITVLARE SECVNDVM ANNI DCCCXIX.

S I V E

ALIA CAPITVLA ADDITA AD LEGEM SALICAM.

Nunc primum edita ex veteri codice MS. bibliotheca Colbertina.

CAPITVLA LEGI SALICÆ ADDENDA.

C A P. I.

VT pagenses per sacramenta aliorum hominum causas non inquirentur nisi tantum dominicas. Ad tamen Comes ille si alicujus pauperis aut impotentis personæ causa fuerit, tunc Comes ille diligenter & sine sacramento per veriores & meliores pagenses inquireat.

I I.

Vult Dominus Imperator ut in tale placitum quale ille nunc iusserit veniat unusquisque Comes, & adducat secum duodecim Scabinos, si tanti fuerint. Sin autem, de melioribus hominibus illius comitatus suppleat numerum duodenarium. Et advocati tam Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum ut eis veniant.

I I I.

Statuendum est ut unusquisque qui censum regium solvere debet, in eodem loco illum persolvat ubi pater & avus ejus solvere consueverunt.

I V.

Si homini cuilibet causam suam in placito aut coram Comite palatio alius fuerit impedimento, & causam ejus injustè disputando impedit, tunc volumus ut sive Comes palatij seu Comes ipse in comitatu suo jubeat eum exire foras. Et si noluerit obedire, tunc solvat bannum dominicum, id est, sexaginta solidos; & illi cui adversatus est, ei donet vadium suum pro lege sua.

V.

Volumus ut Comes potestatem habeat in placito suo facere quæ debet, nemine contradicente. Et si aliter fecerit quam justè, ad quem factum illud pertinet veniat

in præsentiam nostram, & nos illi de eodem Comite faciamus justitiam.

V I.

Vestitura Domni & genitoris nostri eo modo volumus ut teneatur, ubicunque esse dicitur, ut diligentissima investigatione perquiratur. Et si invenitur esse justa atque legitima, tunc vestitura dicitur. Nam aliter ne vestitura nominari debet, sive sit in ecclesiasticis sive in palatinis rebus.

V I I.

De proprio quod in castellis ab avo nostro conquisitis eo modo videtur nobis esse faciendum atque discernendum ut illi tantum proprietarum rerum sui potestatem non habeant qui quandiu potuerunt restiterunt & contra illorum voluntatem in potestate avi nostri venerunt. Nam quicumque focus suis pertinaciter resistentibus se didicerunt quamvis castellum per vim fuisset captum, propriè suum tamen in eo habere debent.

V I I I.

De rebus unde Dominus Karolus Imperator legitimam vestituram habuit, & hoc ita potest investigari ut secundum justitiam ad nos debeant pertinere, nequam volumus, si nostri testes boni & idonei sunt, ut alij adversus eos in nostram contrarietatem confurgant. Ad tamen in tua sit providentia ac fidelium nostrorum qui tecum sunt, qui nostri testes esse debent, boni & veraces sint. Porro adversus ecclesiasticas res eadem sententia maneat quæ tempore [Domni] & genitoris nostri fuerat prolata, ut Ecclesiarum defensores [res] suas contra suos adpetitores eadem lege defendant qua ipsi vixerunt

qui easdem res Ecclesiis condonaverunt. Similiter & Ecclesia eandem legem habeat adversum petitores suos, tantum salva nostra iustitia.

IX.

De quarto capitulo expectandum censuimus donec cum plurioribus fidelibus nostris inde consideremus.

CAPITVLARE TERTIVM

ANNI DCCCXIX.

S I V E

CAPITVLA DE INTERPRETATIONE LEGIS SALICÆ.

Nunc primum edita ex duobus antiquis codicibus manuscriptis, uno bibliothecæ regie, altero sancti Remigij Remensis.

IN NOMINE DOMINI.

INCIPIVNT CAPITVLA LEGIS SALICÆ.

De capitulo primo, id est, de manire.

I. **D**E hoc capitulo iudicatum est ut ille qui manitur spatium manitionis suæ per quadraginta noctes habeat. Et si Comes infra supradictarum noctium numerum mallum suum non habuerit, ipsum spatium usque ad mallum Comitum extendatur, & deinde detur ei spatium ad respectum ad septem noctes. Inde non noctium spatia, sed proximus mallus Comitum ei concedatur.

De xxi. capitulo legis Salicæ.

II. Si quis servum alienum occiderit vel venderit, vel ingenuum dimiserit, mille quadringentis denariis, qui faciunt solidos triginta quinque, culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura.

De hoc capite iudicatum est ab omnibus, ut si ille servus qui iniuste venditus vel ingenuus dimissus apparet, non alter pro eo in loco illius restituatur: quia dixerunt aliqui quod idem servus, qui ingenuus dimissus fuerat, denuo ad servitium redire non debeat, sed pristino & domino & servitio restitutus fiat iudicaverunt.

De xiv. capitulo legis Salicæ.

III. Si quis ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipsi cum ea in servitio implicetur.

De hoc capite iudicatum est ab omnibus ut si ingenua femina quemlibet servum in conjugium sumpserit, non solum cum ipso servo in servitio permaneat, sed etiam omnes res quas habet, si eas cum parentibus suis divisas tenet, ad dominum cuius servum in conjugium accepit perveniant. Et si cum parentibus suis res paternas vel maternas non divisit, nec alicui quærenti respondere nec cum suis heredibus in rerum paternarum hereditate ultra divisor accedere possit. Similiter & si francus homo alterius ancillam in conjugium sumpserit, sic faciendum esse iudicaverunt.

Item de eodem capitulo.

IV. Si quis uxorem alienam vivo marito tulerit, octo milia denar. qui faciunt solidos ducentos culpabilis iudicetur.

De hoc capitulo iudicatum est ut vivo marito cui eadem uxor contra legem subtracta fuerat, ab illo qui eam ei iniuste tulerat cum lege reddita fiat superscripta, id est, ducentis solidis.

De xxvi. capitulo.

V. Si quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiserit, freedus ei non requiratur.

De hoc capitulo iudicatum est ut si infans infra duodecim annos res alterius iniuste sibi usurpaverit, eas, excepto freedo, cum

cum lege sua componat, & ita manniatur sicut ille maniri cui contra legem fecit, & ita à Comite ad mallum suum adducatur sicut ille adduci potest cui contra legem fecit. De hereditate verò paterna vel materna si aliquis eum interpellare voluerit, usque ad spatium duodecim annorum expectare iudicatum est.

VI. Iudicatum est ab omnibus ut si francus homo vel ingenua femina in servitio sponte sua se implicaverit, ut si res suas, dum in libertate sua permanebat, ad Ecclesiam Dei aut cuilibet legibus tradidit, ipse cui traditæ fuerint eas habere & tenere possit. Et si filios vel filias, dum in sua fuit libertate, generavit, ipsi liberi permanent.

De xxxvi. capitulo.

VII. Si quis servus hominem ingenuum occiderit, ipse homicida pro medietate compositionis parentibus hominis occisi tradatur, & aliam medietatem dominus servi se noverit solviturum. Aut si legem intellexerit, poterit se obmallare ut leodem non solvat.

Quia nullum de ecclesiastico aut beneficiario vel alterius persona servo discretionem lex facit, si ita ecclesiastici aut beneficiarii servi sicut liberorum tradi aut dimitti possunt, ad interrogationem Domini Imperatoris reservare voluerunt.

VIII. De xlv. capitulo, id est, Qui viduam in conjugium accipere vult, iudicaverunt omnes ut non ita sicut in lege Salica scriptum est eam accipiat, sed cum

parentorum consensu & voluntate, velut usque nunc antecessores eorum fecerunt, in conjugium sibi eam sumat.

De xlvii. capitulo, De eo qui villam alterius occupaverit.

IX. De hoc capitulo iudicaverunt ut nullus villam aut res alterius migrandi gratia per annos tenere vel possidere possit, sed in quacunque die invasor illarum rerum interpellatus fuerit, aut easdem res quaerenti reddat, aut eas, si potest, juxta legem se defendendo sibi vendicat.

X. De affatomie dixerunt quòd traditio fuisset.

De hoc capitulo iudicatum est ut sicut per longam consuetudinem antecessores eorum facientes habuerunt, ita & omnes qui lege Salica vivunt in antea habeant & faciant.

XI. Et hoc iudicaverunt, ut si servus chartam ingenuitatis adtulerit, si servus ejusdem chartæ auctorem legitimum habere non potuerit, domino servi ipsam chartam falsare liceat.

XII. Et hoc iudicaverunt, ut omnis qui alteri aliquid quaerit, licentiam habeat prius sua testimonia producere contra eum. Et si ille cui quaeritur dixerit quòd legibus teneat ea quæ tenet, & talia sunt testimonia qui hoc veraciter adfirmare possint, iudicaverunt ut hujus rei veritas secundum capitula Domini Imperatoris, quæ prius pro lege tenenda constituit, res veritas comprobetur.

CAPITVLARE QVARTVM ANNI DCCCXIX.

Incipiunt capitula que per se scribenda & ab omnibus observanda sunt.

- | | |
|------------------------------|---|
| 1. De foreapiis. | 6. De mancipiis in villas dominicas confugientibus. |
| 2. De terra tributaria. | 7. De forestibus noviter institutis. |
| 3. De beneficiis destructis. | 8. De pontibus per diversa loca emendandis. |
| 4. De terra censali. | |
| 5. De novis & decimis. | |

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

De forcapiis.

IV. 36. I. **S**I mancipia dominos suos fugerint in alienam potestatem, præcipimus ut propter hoc nullum præmium accipiat ille in cuius potestate fuerint inventa, pro eo quòd ea vel reddiderit vel foras eiecerit. Et non solum hoc, sed etiam si ea nec reddere nec foras eicere voluerit, & legitimo domino ea contradixerit, & illa inde postea effugerint, secundum legem ea solvere cogatur.

De terra tributaria.

Ibid. 37. II. Quicumque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam vel cuiuslibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat; nisi forte talem firmitatem de parte dominica habeat per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.

De beneficiis destructis.

Ibid. 38. III. Quicumque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, & intra annum postquam ei à Comite vel à Misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.

De terra censali.

Ibid. 39. IV. Si quis terram censalem habuerit, quam antecessores sui vel ad aliquam Ecclesiam vel ad villam nostram dederunt, nullatenus eam secundum legem tenere potest nisi ille voluerit ad cuius potestatem vel illa Ecclesia vel illa villa pertinet; nisi forte filius aut nepos ejus sit qui eam tradidit, & ei eadem terra ad tenendum placitata sit. Sed in hac re considerandum est utrum ille qui hanc tenet dives an pauper sit, & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui horum neutrum habet, erga hunc misericorditer agendum est, ne ex toto dispoliatus in egestatem incidat; ut aut talem censum inde persolvat qualis ei fuerit constitutus, vel portionem aliquam inde in beneficium accipiat unde se sustentare valeat.

De nonis & decimis.

Ibid. 40. V. Consideratum est ut de frugibus terræ & animalium nutrimento nonæ & decimæ persolvantur. De opere verò vel restauratione Ecclesiarum Comes & Episcopus sive Abbas unà cum Misso nostro,

quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant quantum rerum ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem quam ipse tenet. Aut si inter eos convenierit ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant, cum quo pretio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat, insuper & bannum nostrum solvat, ut ita castigatus caveat ne sepius iterando beneficium amittat.

De mancipiis in villas dominicas confugientibus.

VI. Si cujuslibet mancipia in villam nostram confugerint, actor ejusdem villæ querenti domino ea non contradicat, sed statim ea foras de eadem villa eiciat. Et si se putat ad ea repetenda justitiam habere, repetat illa & secundum legem adquirat. Si verò tempore Domini Karoli genitoris nostri in villam illam confugerint, & dominus ea querit, actor ejusdem villæ aut ea legitime contendat, aut querenti domino reddat. Et actor propter vestituram Domni Karoli genitoris nostri eadem mancipia contradicere non audeat, si illius propria esse noscuntur.

De forestibus noviter institutis.

VII. Ut quicumque illas habet, dimittat; nisi forte indicio veraci ostendere possit quòd per jussionem sive permissionem Domni Karoli genitoris nostri eas instituerit; præter illas quæ ad nostrum opus pertinent, unde nos decernere volumus quicquid nobis placuerit.

De pontibus per diversa loca emendandis.

VIII. Volumus ut Missi nostri per singulas civitates una cum Episcopo & Comite Missos vel nostros homines ibidem commanentes eligant, quorum cura sit pontes per diversa loca emendare, & eos qui illos emendare debent ex nostra jussione admonere ut unusquisque juxta suam possibilitatem & quantitatem eos emendare studeat.

CAPITVLARE QVINTVM
ANNI DCCCXIX.

S I V E

CAPITVLA DE INSTRVCTIONE MISSORVM.

Nunc primùm edita ex tribus antiquis codicibus manuscriptis, uno bibliotheca regie, altero Bigoriane, tertio sancti Remigij Remensis.

Hæc capitula præcipuè ad legationem Missorum nostrorum ob memoriæ causam pertinentia, de quibus videlicet causis agere debeant.

INCIPIVNT CAPITVLA.

- | | |
|---|--|
| <p>1. DE legatione omnium Missorum dominicorum.</p> <p>2. De illis libertatibus & rebus reddendis quæ in dominica vestitura sunt, qualiter inquirantur.</p> <p>3. De oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum.</p> <p>4. De iniustis consuetudinibus noviter institutis.</p> <p>5. De honore Ecclesiarum.</p> <p>6. De nonis & decimis.</p> <p>7. De locis dandis ad claustra Canoniorum faciendâ.</p> <p>8. De observatione præceptorum dominicorum.</p> <p>9. De his qui per occasionem immunitatis iustitiam facere renunt.</p> <p>10. De locis jam dudum sacris & nunc spurcicia sordatis.</p> <p>11. De beneficiis dominicis destructis.</p> <p>12. De falsa moneta & de aliis diversis causis prohibendis.</p> <p>13. De Missorum dominicorum observatione.</p> <p>14. De placitis à liberis hominibus observandis.</p> <p>15. De debito ad opus dominicam reuocato.</p> | <p>16. De his qui ad palatium vel in hostem pergunt, vel inde redeunt.</p> <p>17. De pontibus publicis.</p> <p>18. De Clericis, monachis, & servis fugitivis.</p> <p>19. De advocatis Episcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatissarum.</p> <p>20. De Vicariis vel Centenariis, si latrones celaverint.</p> <p>21. De Comitibus & Vicariis admonendis de constitutione legis.</p> <p>22. De forestibus dominicis.</p> <p>23. De Missis dominicis, & de his qui iustitiam facere renunt.</p> <p>24. De Missis dominicis, ubi diutius non debeant immorari.</p> <p>25. De Missis dominicis, & de Comite in aliquod missaticum directo.</p> <p>26. De Missis dominicis, qualiter conjectum accipere debeant.</p> <p>27. De vassis dominicis & Episcoporum vel reliquorum, qui in hoste non fuerant.</p> <p>28. De Episcopis, Abbatibus, & Comitibus, & de placito Missorum dominicorum.</p> <p>29. De dispensa Missorum dominicorum.</p> |
|---|--|

INCIPIVNT SVPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

De legatione omnium Missorum dominicorum.

- IV. 44. **I**Llegatio omnium Missorum nostrorum hæc est. Primò, ut sicut jam aliis Missis injunctum fuit, iustitiam

faciant de rebus & libertatibus iniuste ablatis; & si Episcopus, aut Abbas, aut Vicarius, aut Advocatus, aut quislibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituantur. Si verò vel Comes vel actor

Qq ij

dominicus vel alter Missus palatij nostri hoc perpetraverit, & in nostram potestatem redegerit, res diligenter investigata & descripta ad nostrum iudicium referretur.

De illis libertatibus & rebus reddendis quæ in dominica vestitura sunt, qualiter inquirantur.

Ibid. 45. II. Volumus autem ut de his libertatibus & rebus reddendis quæ in nostra vestitura sunt primò per optimos quosque inquiratur. Et si per illos inveniri non possit, tunc per eos qui post illos in illa vicinia meliores sunt. Et si nec per illos rei veritas inveniri potest, tunc liceat litigantibus ex utraque parte testes adhibere. Et si discordaverint, secundùm institutionem à nobis promulgatam examinentur.

De oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum.

Ibid. 46. III. De pauperibus, viduis, & pupillis injustè opprellis, ut adjuventur & releventur.

De injustis consuetudinibus noviter institutis.

Ibid. 47. IV. De injustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa & telonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit unde justè census exigi possit, vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum obstaculum est, ut auferantur. Antiquæ autem ad nostram notitiam deferantur.

De honore Ecclesiarum.

Ibid. 48. V. De honore Ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur sicut nuper à nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est. Et ut hoc Missi nostri omnibus in sua legatione constitutis notum efficiant.

De nonis & decimis.

Ibid. 49. VI. De nonis & decimis, ut secundùm iussionem nostram dentur.

De locis dandis ad claustra Canonice facienda.

Ibid. 50. VII. De locis dandis ad claustra Canonice facienda, si terra de ejusdem Ecclesie rebus fuerit, reddatur ibi. Si de alterius Ecclesie vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de filco nostro fuerit, nostra libertate concedatur.

De observatione præceptorum dominicorum.

Ibid. 51. VIII. De observatione præceptorum nostrorum & immunitatum, ut ita observentur sicut à nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est.

De his qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt.

IX. De his qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt, ut hoc observetur quod à nobis constitutum est.

De locis jam dudum sacris & nunc spurcitiæ foedatis.

X. De locis jam dudum sacris & nunc spurcitiæ foedatis, ut juxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

De beneficiis dominicis destructis.

XI. De beneficiis nostris, quæ destructa inveniuntur, hoc impleatur quod nuper à nobis constitutum est.

De falsa moneta & de aliis diversis causis prohibendis.

XII. De nova moneta, & de falsa moneta, & de dispectu litterarum nostrarum, & de latronibus coercendis vel puniendis, & de falsis pacandis, de homicidiis prohibendis, de perjuriis & falsis testibus compescendis, de his omnibus vel ceteris his similibus hoc quod modò constitutum omnibus adnuntiatur & in futurum observetur.

De Missorum dominicorum observatione.

XIII. Hoc volumus ut Missi nostri observent, ut quicquid de his causis vel simul vel singillatim emendare potuerint, emendent; & ea quæ emendaverint, diligenter scriptis notent. Et hoc sic peragere curent quatinus justè reprehendi à quoquam nullatenus possint. Et quæ facere debent aut possunt, nullatenus prætermittant; immo caveant ne, quod abest, aut gratia alicujus aut honoris aut timoris sive odij causa illud quod agere debent omittant. Et summopere studeant ut hoc quod per se efficere non possunt, nobis notum faciant. Et omnimodis prævideant ut per singula capitula tam verbis quam scriptis de omnibus quæ illic peregerint nobis rationem reddere valeant.

De placitis à liberis hominibus observandis.

XIV. De placitis si quidem quos liberi homines observare debent constitutio genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est, ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observent, & nullus eos amplius placita observare compellat, nisi fortè quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusaverit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera verò quæ Centenarij tenent non alius venire jubeatur nisi qui aut litigat, aut judicat, aut testificatur.

De debito ad opus dominicum reuadiato.

Ibid. 58. XV. Vt de debito quod ad opus nostrum fuerit reuadiatum talis consideratio fiat ut is qui ignoranter peccauit, non totum secundum legem componere cogatur, sed iuxta quod possibile visum fuerit. Is uero qui tantum mala voluntate peccauit, totam legis compositionem cogatur exsoluere.

De his qui ad palatium vel in hostem pergunt, vel inde redeunt.

Ibid. 59. XVI. Vt nullus ad palatium vel in hostem pergens, vel de palatio vel de hoste rediens, tributum quod trasuras vocant soluere cogatur.

De pontibus publicis.

Ibid. 60. XVII. Vt pontes publici qui per banum fieri solebant, anno praesente in omni loco restaurentur.

De Clericis, monachis, & seruis fugitiuis.

Ibid. 61. XVIII. Vt Clerici & monachi & serui fugitiui ad loca sua redire iubeantur.

De advocatis Episcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatissarum.

Ibid. 62. XIX. Vt nullus Episcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatissa Centenarium Comitis advocatum habeat.

De Vicariis vel Centenariis, si latrones celauerint.

Ibid. 63. XX. Vt Vicarij vel Centenarij, qui fures & latrones vel celauerint vel defenderint, secundum sibi datam sententiam diiudicentur.

De Comitibus & Vicariis admonendis de constitutione legis.

Ibid. 64. XXI. Vt Comites & Vicarij & Centenarij de constitutione legis admoneantur, qua iubetur ut propter iustitiam pervertendam munera non accipiant.

De forestibus dominicis.

Ibid. 65. XXII. De forestibus nostris, ut ubique fuerint diligentissime inquirent quomodo saluae sint & defensionae, & ut Comitibus denuntient ne ullam forestem noviter instituant, & ubi noviter institutas sine nostra iussione invenerint, dimittere praecipiant.

De Missis dominicis, & de his qui iustitiam facere renuant.

Ibid. 66. XXIII. Vt ubicunque ipsi Missi aut Episcopum aut Abbatem aut alium quemlibet quocunque honore praeditum invenerint qui iustitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipsius rebus vivant quandiu in eo loco iustitias facere debent.

De Missis dominicis, ubi diutius non debeant immorari.

XXIV. Vt in illius Comitis ministerio qui bene iustitias factas habet iisdem Missi diutius non morentur, neque illuc multitudinem convenire faciant, sed ibi moras faciant ubi iustitia vel minus vel negligenter facta est.

De Missis dominicis, & de Comite in aliquod missaticum directo.

XXV. Vt in illius Comitis ministerio iisdem Missi nostri placitum non teneant qui in aliquod missaticum directus est, donec ipse reversus fuerit, ut causa quae adhuc coram Comite non fuit, & is qui se reclamat propter suam stultitiam aut contumaciam Comitem inde appellare noluit, iterum Comiti commendetur.

De Missis dominicis, qualiter coniectum accipere debeant.

XXVI. Vt Missi nostri qui vel Episcopi vel Abbates vel Comites sunt, quando prope suum beneficium fuerint, nihil de aliorum coniecto accipiant. Postquam vero inde longè recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi uero nostri & ministeriales, qui Missi sunt, ubicunque venerint coniectum accipiant.

De vassis dominicis & Episcoporum vel reliquorum, qui in hoste non fuerunt.

XXVII. Vt vassi nostri, & vassi Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, & Comitum, qui anno praesente in hoste non fuerunt, heribannum reuadiant, exceptis his qui propter necessarias causas & à Domino ac genitore nostro Karolo constitutas domi dimissi fuerunt, id est, qui à Comite propter pacem conservandam, & propter conjugem ac domum ejus custodiendam, & ab Episcopo vel Abbate vel Abbatissa similiter propter pacem conservandam & propter fruges colligendas & familiam constringendam & Missos recipiendos dimissi fuerunt.

De Episcopis, Abbatibus, & Comitibus, & de placito Missorum dominicorum.

XXVIII. Vt omnis Episcopus, Abbas, & Comes, excepta infirmitate vel nostra iussione, nullam excusationem habeat quin ad placitum Missorum nostrorum veniat, aut talem vicarium suum mittat qui in omni causa pro illo reddere rationem possit.

De dispensa Missorum dominicorum.

XXIX. De dispensa Missorum nostrorum, qualiter unicuique iuxta suam

qualitatem dandum vel accipiendum sit, videlicet Episcopo panes quadraginta, friscingæ tres, de potu modij tres, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modij quatuor. Abbatibus, Comiti, atque ministeriali nostro unicuique dentur cotidie panes triginta, friscingæ duæ, de potu modij duo, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modij tres. Vassallo nostro panes decem & septem, friscinga una, porcellus unus, de potu modij unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modij duo.

cingæ duæ, de potu modij duo, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modij tres. Vassallo nostro panes decem & septem, friscinga una, porcellus unus, de potu modij unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modij duo.

CAPITVLARE SEXTVM ANNI DCCCXIX.

S I V E

CAPITVLARE MISSORVM DOMINICORVM

*Nunc primùm editum ex vetustissimo codice MS. monasterij
sancti Galli in Helvetia.*

C A P. I.

DE statu Ecclesiæ & honore Pontificum, ut canonicè secundum iustitiam Dominorum nostrorum vivere & conversare debeant.

I I.

Vt Sacerdotes & Clericos secundum normam priorum patrum vivant.

I I I.

Vt tam monachi quam monachas, ubicunque fuerint, regulariter vitam degant.

I V.

De restauratione Ecclesiarum vel luminaria, seu officia etiam & Missas, necnon & sacritecta, ut in quantum possibilitas fuerit, per iustitiam Dominorum nostrorum, ubi necessitas, restauratæ & emendatæ fiant.

V.

De Ecclesiis & monasteria & senodochia quæ ad mundio palatij pertinent aut pertinere debent, ut unusquisque iustitiam Dominorum nostrorum Regum & eorum rectum consentiat.

V I.

De causis illicitis conjunctionibus omnibus vel etiam ceteris nefandas res, ut unusquisque in sua parrochia una cum consensu & adiutorio Comitis sui hoc pleniter sub celeritate amputare & emendare studeat. Et qui hoc facere non potuerit, ad aures piissimi Domini nostri vel ejus * po-

* Procri-

bus

steribus hoc innotescat absque tarditate, ut malum quod perpetratum est canonicè emendatum fiat.

V I I.

De viduis & orfanis & pauperibus vel omnibus impotentibus, ut in elemosyna Dominorum nostrorum Regum eorum iustitiam plenius accipiant.

V I I I.

De homicidiis & perjuriis, sacrilegis, & falsis testimoniis, & hoc quod nefandum aut contrarium sacris canonibus esse videtur, & hoc pleniter per vestram monitionem & per iudicium Comitis emendatum fiat. Et qui hoc facere noluerit, absque tarditate aurius præcellentissimi Domini nostri vel ejus posteribus hoc patefaciat.

I X.

De decimis, ut unusquisque suam decimam ad Ecclesiam offerat, sicut mos vel sacra consuetudo esse dinoscitur.

X.

Vt illicite qui illos episcopatos tenent, qui canonicè esse potest, sub celeritate sacros fiant.

X I.

Volimus quidem ut ea quæ superius retulimus ut unusquisque bonum certamen exinde habeant, seu & de aliis causis quas minimè in hoc capitulare inseruimus, & necessarij sunt commendandi per vestram sanctissimam monitionem emenda. Et qui

hoc facere neglexerit, si sacerdos aut Clericus fuerit, sciat se canonicum subiacere servitium; & si laicus, Dominorum no-

strorum iudicio & ejus proceribus sustinere.

EXPLICIT.

CAPITVLARE ANNI DCCCXXI.

S I V E

Capitula data apud Theodonis villam anno DCCCXX.
in generali populi conventu.

Nunc primùm edita ex duobus antiquis exemplaribus MSS. bibliothecæ Colbertine.

Vbi telonea exigi & ubi non exigi debeant.

I. Volumus firmiter omnibus in imperio nostro nobis à Deo commissio notum fieri ut nullus teloneum exigat nisi in mercatibus, ubi communia commercia emuntur ac venundantur; neque in pontibus, nisi ubi antiquitus telonea exigebantur; neque in ripis aquarum, ubi tantum naves solent aliquibus noctibus manere; neque in silvis, neque in fratis, neque in campis, neque subtus pontem transeuntibus, nec alicubi, nisi tantum ubi aliquid emitur aut venditur qualibet causa res ad communem usum pertinens, & ubi emptor cujuslibet utitur herba aut lignis aut aliis villaticis commodis, cum eo cujus sunt quibus utitur agat juxta aestimationem usus, & quod justum est de tali re illi persolvat. Quod si aliquis constituta mercata fugiens, ne teloneum solvere cogatur, & extra prædicta loca aliquid emere voluerit, & hujusmodi inventus fuerit, constingatur & debitum telonei persolvere cogatur. Et quisquis hujusmodi justa telonea solvere declinantem susceperit sive celaverit, id secundum suam legem emendare compellatur. Is tamen quem celavit debitum teloneum persolvat. Ceterum, sicut superius dictum est, nisi in memoratis locis nemo à quolibet exigat telonea. Et si fecerit contra hæc præcepta nostra, sciat se esse damnandum sexaginta summa solidorum.

De dispensa fidelium nostrorum.

II. Sive carris, sive sagmaris, sive frisingis, sive aliis quibuslibet vehiculis,

tam eorum qui nobis assidue in palatio deserviunt, quamque & eorum qui ad palatium eorum dispensam ducunt, nemo in pontibus, neque in navibus, neque in quibuslibet aliis locis, ab eis teloneum exigere præsumat. Quod si fecerit, noverit se similiter sexaginta summa solidorum pœna plectendum. Quod si aliquis reperiens fuerit qui ea quæ præmissa sunt non ad suam dispensam, nec ad proprios usus, sed potius venundandi causa ea duxerit, noverit se sicut superius comprehensum esse esse damnandum.

Qualis census exigi debeat de pontibus emendatis.

III. Nemo ex his qui pontes faciunt aut de immunitatibus aut de fiscis aut de liberis hominibus cogantur pontaticum de eodem quem fecerunt ponte persolvere. Et si forte quilibet voluerit ex propriis facultatibus eundem pontem emendare vel reficere, quamvis de suis propriis rebus eundem pontem emendet vel reficiat, non tamen de eodem ponte majorem censum exigere præsumat nisi sicut consuetudo fuit & justum esse dinoscitur.

Vt nullus liber homo ad brolios dominicos operari cogatur.

IV. Omnibus notum sit quia nolumus ut liber homo ad nostros brolios operari cogatur. Attamen de aliis publicis functionibus, quas solebant juxta antiquam consuetudinem facere, nemo se pro hac causa excuset.

De capitulis præterito anno additis legi Salicæ.

V. Generaliter omnes admonemus ut

capitula quæ præterito anno legi Salica per omnium consensum addenda esse censuimus, jam non ulterius capitula sed tan-

tum lex dicantur, immo pro lege teneantur.

LVDOVICI PII IMP.

Epistola ad monachos Anianenses, data circa annum Christi

DCCCXI.

IN nomine Domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus venerabilibus fratribus in Aniano sive Gellone monasterio constitutis. Proximè accidit Agobardum Archiepiscopum ad nostram devenisse præsentiam; qui indicavit nobis quomodo eo præsentem & Nebridio Archiepiscopo sine mora omnes pari consensu Tructesindum super vos elegeritis Abbatem. Cui factò, quia rationabile nobis videbatur, ad sensum præbere non distulimus, id desiderantes ac optantes ut pietas divina id ad suam & vestram communem salutem proficere faciat quòd ille patris ac pastoris inter vos locum obtineat, & vos ut Christi oves pro humilitate ac devotione, sicut dignum ac rectum & justum est, subditi & obedientes ei sitis; & hæc obedientia & humilitatis subjectio caritatis munimine est roboranda, quam sine simulatione falsæ extrinsecus ostentationis in vobis fieri necesse est. Vos enim optimè nostis cum quanto studio & sudore à beatæ memoriæ Domno Benedicto patre vestro locus iste primò inchoatus ac constructus est; deinde qua diligentia ille nitebatur ut vos, quos divina superni pastoris gratia per suæ devotionis instantiam inibi coadunaverat, secundum monasticæ vitæ regulam rectè conversaremini; quod & Deo largiente, juxta id quod desideravit ad effectum perduxit. Sed & de sacrosancto eodem examine per imperium à Deo nobis commissum longè lateque piæ conversationis normam coadoptavit, ac vobis disseminare non destitit. Et cum profectò ita se res habeat, dignum vos admonere statuimus ut Deo cooperante id efficere studeatis ne in diebus vestris res tam egregiè inchoata & ad incrementum perducta quolibet casu quicquam detrimenti sumat; sed tales semper per Dei misericordiam esse studeatis ut de vo-

bis possint sicut prius magistri & doctores sanctæ non solum regularis vitæ, verum omnis spiritalis normæ & præcipui apicis adsumi, ubicunque necessitas vel voluntas fuerit. Porro Tructesindum Abbatem vestrum admonitum esse volumus ut circa vos paternum exerceat amorem, & consideret secundum ætatem vel valetudinem corporis vel infirmitatis cujuslibet molestiam quid cui conveniat ex subjectis sibi, & caveat omnimodis ne in negligentem adeo fervida zeli castigationem modum excedat ut eos pusillanimes reddat, nec apud observantes mandata Dei talis sit ut torpore & desidia in eis rigorem constantiæ frangat; sed maxima discretione juxta Apostolum sit omnibus omnia factus, ut omnes ad se pertinentes salvare possit. Quòd si fortè evenerit, quod nos non optamus, ut ille extra regulam vobis à memorato Benedicto optimè traditam in aliquo devierit, & magis voluerit quæ agenda sunt proprio arbitrio & voluntate quam vestro communi consilio agere, vos eum, ut carissimi fratres & filij, cum omni mansuetudine & patientia corrigite. Quòd si vobis ad sensum præbuerit, & per vos correctus fuerit, hoc Dei dono tribuatis. Si verò ille pertinacior in sua, quod absit, permanere voluerit sententia, tunc nobis id significare prius faciatis quam foris vicinis vestris notum fiat; quia cum in aliis regalem exerceamus potestatem, in vobis tamen paternum semper volumus obtinere affectum. Et quamvis hæc licentia à nobis sit vobis concessa, tamen summo cavendum est ne de qualibet re adversus Abbatem vestrum, levi ira aut prava perturbatione inflammati, frustra pertinaci audacia adversus eum commoveamini. Nam si aliquis vestrum sine ratione adversus eum inflammabitur, & nostras aures sine causa pulsaverit, nos adversus se noverit districta animadversione esse

esse commotos; ut ille qui ejusmodi est, ceteris fiat documentum ne in posterum aliquis audeat adversus magistrum suum injustè confurgere. Vos quoque, seniores, in omnibus adjuvate eum, tam in districtione juniorum fratrum, quam etiam & in reliqua utilitate monasterij, nec illum solum sub tanti ponderis onere gravari patiamini, sed iuxta Apostolum invicem onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Vos autem, juniores fratres, ita tuimus admonere ut in omnibus Abbati vestro & senioribus fratribus obedientes sitis & humiles, non protervi, non murmuratores, sed cum omni humilitate & mansuetudine servantes propositum vestrum. Nam si secus egeritis, ut aliquis vestrum adversus Abbatem & fratres infletur, & non solum sibi, sed etiam aliis perverse transgressionis fuerit incitamentum, & non sui Abbatis vel fratrum sustinerit correctionem, hunc nobis cum festinatione mitti precipimus, ut eum in talem dirigamus locum unde ille vobis minime possit quicquam inferre scandali. Hæc vobis ideo scribere iussimus ut cognoscere

possitis quantam curam ac sollicitudinem de vobis habere desideramus. Eandem enim familiaritatem quam cum pia recordationis Benedicto Abbate vestro habere visi sumus, si præcepta ejus obedienter custodire volueritis, vobiscum similiter habere volumus, & curam vestri ipsiusque monasterij semper agere. Et quia constat per chartam donationis prædicti patris vestri eundem monasterium genitoris nostri prius & denuo nostrum esse alodem, eandem licentiam quam ipse prius & nos deinceps per præcepta immunitatis visi sumus concedere, perpetuis temporibus firmiter observare & inviolabiliter conservare promittimus. Et quodcumque divina vocatione prædictus Abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu inter vos tales invenire potueritis qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per sæpe scriptam & roboratam nostram auctoritatem licentiam habeatis semper eligendi Abbates. Optamus vos pro nobis orantes ac sanctum propositum vestrum custodientes in Christo semper bene valere.

CAPITVLARE TRIBVRIENSE

Datum anno Christi **DCCCXXII.** ad petitionem Episcoporum in Theodonis villa congregatorum anno superiore.

PETITIO EPISCOPORVM.

Burchard.
lib. 6. c. 5.
Ivo par. 10.
c. 54.

IN Concilio apud Theodonis villam, ubi interfuerunt **XXXII.** Episcopi, Aistolfus Magontiensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Hadabaldus Coloniensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Hetto Trevirensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Ebbo Remensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, cum munitis reliquorum Episcoporum Gallie & Germanie, ob nimiam præsumptionem quorundam tyrannorum in sacerdotes Domini bacchantium, & propter factum quod in Vvasconia noviter acciderat de Episcopo Iohanne inhonestè & inaudite mordidato, decretum est ut communi consensu & humili devotione supplicaretur auribus Principis, si suæ pietati complaceret ut calumnia in Christi sacerdotes

peracta juxta synodica determinaretur pleniter statuta, hoc idem Episcoporum iudicio placeret, si ex toto secundum potestatem ipsorum posset definiti, id est, ut canonica ferirentur sententia, hi videlicet qui timorem Domini postponentes, in ministros suos grassare præsumerent. Quod si verò pietati illius complaceret, juxta Capitula Regum præcedentium, ubi eorum provisio misericorditer in offensis pecunie quantitatem interposuit, pro consolatione sanctæ Ecclesiæ, ut præfatarum per pecuniam ab Imperatoribus sacerdotibus ad defensionem concessam, & per penitentiam determinarentur Episcoporum iudicio, si pietas illius conlaudare voluerit, sic definiti eis complaceret.

Capitulare
II. anni
803. c. 1.

C A P. I.

SI quis Subdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convaluerit, quinque quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & trecentos solidos cum sua compositione & episcopali bannis Episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, singulas supradictas quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, & quadringentos solidos cum tripla sua compositione & episcopali bannis triplicibus Episcopo componat.

I I.

Si Diaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, sex quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & quadringentos solidos cum compositione sua & episcopali bannis Episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, singulas supradictas sex quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, & sexcentos solidos cum tripla sua compositione & episcopali bannis triplicibus Episcopo componat.

I I I.

Si quis Presbyterum calumniatus fuerit & spassaverit, sex quadragesimas sine sub-

ditis annis pœniteat, & sexcentos solidos cum triplici sua compositione & episcopali bannis triplicibus Episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, duodecim annorum pœnitentia secundum canones ei imponatur, & nongentos solidos cum triplici compositione sua & episcopali bannis triplicibus Episcopo componat.

I V.

Si quis Episcopo infidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonefaverit, decem quadragesimas cum subditis annis pœniteat, & Presbyteri occisi triplicem compositionem componat. Si autem casu & non sponte occiditur, cum comprovincialium Episcoporum consilio homicida pœniteat. Si quis autem sponte eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat omnibus diebus vite suæ, cingulum militare deponat, absque spe conjugij in perpetuo maneat.

Aistolfus Magontiensis Archiepiscopus dixit: Si Principibus placuerit aliisque suis fidelibus, rogemus ut conlaudetur & subscribatur. Et conlaudatum est & subscriptum est tam à Principe quam à ceteris omnibus.

DECRETVM IMPERATORIVM

POST PETITIONEM EPISCOPORVM.

Burchard.
lib. 6. c. 6.
Ivo par. 10.
c. 135.

PLacuit nobis & fidelibus nostris ut sicut ab Episcopis & reliquis sacerdotibus ac Dei servis alio anno apud Theodonis villam admoniti fuimus & rogati, ut Episcopi & eorum ministri, quos Deus suo non humano iudicio reservavit, juxta sanctorum canonum sanctorumque patrum ac Capitularium præcedentium Regum coram positorem statuta, & Dei Sacerdotes eorumque cooperatores, quorum intercessionibus supplicationibus sancta Dei Ecclesia constare videtur, intacti permanent.

I. Constituimus ut si quis Subdiaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, pœnitentia canonica pœniteat, & trecentos solidos Episcopo componat. Et si mortuus fuerit, juxta id quod canones præcipiunt pœniteat, & quadringentos solidos Episcopo componat.

II. Si Diaconum quis calumniatus fuerit, & convaluerit, pœniteat secundum canones, & quadringentos solidos Episcopo componat. Si non convaluerit, jux-

ta præcepta synodalia pœniteat, & sexcentos solidos Episcopo componat.

III. Si Presbyterum quis male tractaverit & spassaverit, secundum ejus Episcopi sententiam pœniteat, & nongentos solidos Episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ut synodus judicaverit pœniteat, & mille ducentos solidos Episcopo componat.

IV. Et si quis Episcopo infidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonefaverit, pœniteat secundum canonum statuta, & Presbyteri occisi triplicem compositionem cum justitiis quæ in superiori capitulo scriptæ & confirmatæ esse videntur componat.

V. Si quis per industriam Episcopum occiderit, juxta id quod apud Theodonis villam à xxxi. Episcopis decretum est, & quod ibi à nobis & à primatibus totius Galliarum & Germaniarum benigna conlaudatione conlaudatum est & subscriptum, pœniteat, & pecuniam à nobis concessam Ecclesiarum viduarum perfolvat.

VI. Et hoc de nostro adjecimus, ut si quis in his supradictis sanctorum canonum nostrique decreti sanctionibus Episcopis inobediens & contumax extiterit, primum canonica sententia feriat, deinde in nostro regno beneficium non habeat, & alodis ejus in bannum mittatur, & si annum & diem in nostro banno permanferit, ad fiscum nostrum redigatur, & captus in exilium religetur, & ibi tamdiu custodiat & confringatur donec coactus Deo &

sanctæ Ecclesiæ satisfaciatur quod prius gratis facere noluerat.

Et si omnibus vobis ista complacuerint, dicite. Et tertio ab omnibus conclamatum est: Placet. Et Imperatores & penè omnes Gallia & Germaniæ principes subscripserunt, singuli singulas facientes cruces. Et ecclesiasticus ordo Deo & principibus laudes referentes hymnum *Te Deum Laudamus* decantabant. Et sic soluta est synodus.

CAPITVLARE

De causis monasterij sanctæ Crucis Pictaviensis, datum circa annum Christi DCCCXXII.

Capitulare de monasterio sanctæ Crucis quod est situm intra Pictavensem urbem, quod piissimus Imperator Ludovicus fieri precepit, atque ut idem ab omnibus observaretur, glorioso filio suo Pippino commisit.

CAP. I.

VT à nemine prædictæ sanctimoniales opprimantur injustè vel condemnentur, ab ipso Domino Pippino Rege provideatur.

II.

Vt à nemine temporale servitium externis ullo modo quærat, nisi quantum ab eis quæsi postquam eas sub regulari norma vivere constitui.

III.

Similiter ut res monasterij, quas modò habent, non prius ab ullo auferantur quam aut ante Dominum Pippinum aut ante Comitem palatij illius præfata ratio reddatur.

IV.

Vt temporale servitium in opere femineo ab eis ad partem dominicam nullatenus quærat: quia si hoc fieri cœperit, omnino ordo regularis stare non poterit.

V.

De ceteris verò quæstionibus quas aut

alij ab ipsis aut ipsæ quærunt ab aliis, secundum consuetudinem ante Comitem vel Vicarios ejus justitiam reddant & accipiant; tantum ut justè fiant.

VI.

Vt omnino caveatur ne ultra centenarium numerum congregatio illa per cujuscunque petitionem multiplicetur.

VII.

Vt omnino provideatur ne Clericorum numerus plusquam xxx. augeatur, & ipsi per omnia ad dictam congregationem sanctæ Crucis honestè & perfectè obediens sint atque subiecti. Sin autem, liber discedat. Colonus autem vel servus ad naturale servitium, velit nolit, redeat.

VIII.

Item, si quando necesse fuerit, perjustionem Domni Pippini Regis Rannulfum specialiter Missum habeant. Quando verò necesse non fuerit, Advocatus earum per se justitiam faciat & accipiat.



CAPITVLARE ANNI DCCCXXIII.

Admonitionem generalem continens ad utriusque ordinis homines,
cum instructione Missorum dominicorum quos Imperator
in diversas regni provincias destinabat.

INCIPIVNT CAPITVLA.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Prefatio.</p> <p>2. De divina providentia in constitutione Domni Imperatoris, & de conservatione trium capitulorum.</p> <p>3. De hoc quod admonitor fidelium Dominus Imperator sit, & omnes fideles adjutores ipsius.</p> <p>4. De sacro ministerio Episcoporum, & de admonitione Domni Imperatoris ad Episcopos.</p> <p>5. De admonitione Domni Imperatoris ad Episcopos, de sacerdotibus ad eorum curam pertinentibus, & de scholis.</p> <p>6. De admonitione ad Comites pro utilitate sancte Dei Ecclesie.</p> <p>7. De admonitione ad laicos pro honore ecclesiastico conservanda.</p> <p>8. De admonitione ad Abbates & laicos pro monasteriis ex regali largitate sibi commissis.</p> <p>9. De admonitione ad Episcopos, Abbates, & ad omnes fideles, pro Comitum adjutoris.</p> <p>10. De admonitione ad Episcopos vel omnes pro concordia ad invicem & cum ceteris fidelibus.</p> <p>11. De admonitione ad omnes generaliter pro caritate & pace ad invicem.</p> <p>12. De hoc quod unusquisque Episcoporum vel Comitum partem ministerij regalis habeat, & de testimonio ipsorum ad invicem.</p> | <p>13. De causa orta ad inhonorationem regni pertinente.</p> <p>14. De pace in itinere exercituali custodienda.</p> <p>15. De denuntiatione, ut qui in hostem pergunt, suos qui in suo obsequio sunt unusquisque cognoscat.</p> <p>16. De inhonoratione Regis propter negligentiam eorum qui legationes male recipiant.</p> <p>17. De locis in quibus legationes recipienda sunt.</p> <p>18. De admonitione unius monete.</p> <p>19. De injustis teloneis.</p> <p>20. De pontibus ubi antiquitus fuerant renovandis.</p> <p>21. De nonis & decimis.</p> <p>22. De operibus in restaurationem Ecclesiarum adimplendis.</p> <p>23. De Comitibus, ut ministris Ecclesie in suis ministeriis adjutores sint.</p> <p>24. De Capitulis à Cancellario palatii ab Archiepiscopis & Comitibus accipiendis.</p> <p>25. De nominibus locorum in quibus Missi domini legatione funguntur.</p> <p>26. De commemoratione ad legationem predictorum Missorum pertinente.</p> <p>27. De hoc quod per Missos dominicos ea que per Capitula statuta sunt, omnibus nota fieri debeant.</p> <p>28. Admonitio ad eos qui legatione funguntur.</p> |
|--|--|

INCIPIVNT SVPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

PRÆFATIO.

11. 1. **I.** Omnibus vobis aut visu aut auditu notum esse non dubitamus quia genitor noster & progenitores, postquam à Deo ad hoc electi sunt, in hoc præcipue studuerunt ut honor sancte Dei Ecclesie & status regni decens maneret. Nos etiam juxta modum nostrum eorum sequentes exemplum, sæpe vestram devotionem de his admonere curavimus, & Deo miserante multa jam emendata, & correctâ videmus unde & Deo justas laudes perfolvere & vestræ bonæ intentioni multimodas debemus gratias referre.

De divina providentia in constitutione Domini Imperatoris, & de conservatione trium capitulorum.

Ibid. 1. II. Sed quoniam complacuit divina providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere ut sanctæ suæ Ecclesiæ & regni hujus curam gereremus, ad hoc certare & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus ut tria specialiter capita & à nobis & à vobis, Deo opem ferente, in hujus regni administratione specialiter conserventur, id est, ut defensio & exaltatio vel honor sanctæ Dei Ecclesiæ & servorum illius congruus maneat, & pax & justitia in omni generalitate populi nostri conservetur. In his quippe maximè studere, & de his in omnibus placitis quæ vobiscum Deo auxiliante habituri sumus, vos admonere optamus, sicut debitores sumus.

De hoc quòd admonitor fidelium Dominus Imperator sit, & omnes fideles adutores ipsius.

Ibid. 2. III. Sed quamquam summa hujus ministerij in nostra persona consistere videatur, tamen & divina auctoritate & humana ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerij habere cognoscatur. Unde apparet quòd ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adutores esse debetis. Nec enim ignoramus quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat. Et ideo prætermittere non possumus quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus.

De sacro ministerio Episcoporum, & de admonitione Domini Imperatoris ad Episcopos.

Ibid. 4. IV. Sed quoniam scimus quòd specialiter pertineat ad Episcopos ut primum ad sacrum ministerium suscipiendum justè accedant, & in eodem ministerio religiose vivant, & tam bene vivendo quàm rectè prædicando populis sibi commissis vitæ præbeant, & ut in monasteriis in suis parochiis constitutis sancta religio observata fiat, & ut unusquisque juxta suam professionem veraciter vivat, curam impendant, omnes vos in hoc sacro ordine constitutos & officio pastoralis functionis monemus atque rogamus ut in hoc maximè elaborare studetis, & per vosmetipsos & per vobis subiectos, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adutores in administratione ministerij nobis commissi existatis, ut in judicio non condemnari pro no-

stra & vestra negligentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur, & ubicunque per negligentiam Abbatis aut Abbatissæ vel Comitis sive vassi nostri aut alicujus cujuslibet personæ aliquod vobis difficultatis in hoc apparuerit obstaculum, nostræ innocentie id ad tempus insinuare non differatis, ut nostro auxilio suffulti, quod vestra auctoritas exposcit, famulante, ut decet, potestate nostra perficere valeatis.

De admonitione Domini Imperatoris ad Episcopos, de sacerdotibus ad eorum curam pertinentibus, & de scholis.

V. De sacerdotibus verò ad vestram curam pertinentibus magnum adhibete studium, ut qualiter vivere debeant, & quomodo populis ad suam portionis curam pertinentibus exemplo & verbo profint, à vobis cum magna cura edoceantur & admoneantur, & id ut facere studeant, vestra pontificali auctoritate constringantur. Quicquid autem in illis à populis justè reprehenditur in exemplo propriæ conversationis, vestra providentia corrigere non negligat. Ne verò Ecclesiæ illis commissæ in restauratione aut in luminaribus juxta possibilitatem rerum ab illis negligantur, vestra nihilominus invigilare debet solertia. Et sicut alios prohibetis ne de mansis ad Ecclesiæ luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos & vestri Archidiaconi de eisdem mansis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis, sed potius ad id ad quod data sunt servire concedantur, ut totum, sicut dictum est, in restauratione Ecclesiarum & luminaribus vestra auctoritate & studio cedere possit. Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promissistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.

De admonitione ad Comites pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ.

VI. Vobis vero Comitibus dicimus, Ibid. 6. vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maximè pertinet, ut reverentiam & honorem sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, & ut vos ipsi in ministeriis vestris pacem & justitiam faciatis, & quæ nostra auctoritas publicè fieri decernit, ut in vestris ministeriis

studiosè perficiantur studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem ut memores sitis fidei nobis promissæ, & in parte ministerij nostri vobis commissi, in pace scilicet & iustitia faciendâ, vosmetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis ut & nostri veri adjuutores & populi conservatores iustè dici & vocari possitis; & nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium aut timor, vel gratia ab statu rectitudinis vos deviare compellat quin inter proximum & proximum semper iustè iudicetis. Pupillorum verò & viduarum & ceterorum pauperum adjuutores & defensores & sanctæ Ecclesiæ vel servorum illius honoratores juxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrocinii sive rapinis communem pacem populi perturbare moliantur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite. Et si aliqua persona in aliquo vobis impedimento fuerit quin ea quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat, ut nostra auctoritate adjuti ministerium vestrum dignè adimplere possitis.

De admonitione ad laicos pro honore ecclesiastico conservando.

Ibid. 7. VII. Omnes verò laicos monemus ut honorem ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem Episcopis & Dei sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devotè occurrant, & jejunia ab illis communiter indicta reverenter observent & suos observare doceant & compellant. Et ut etiam dies dominicus sicut decet & honoretur & colatur omnes studeant. Et ut liberius fieri possit, mercata & placita à Comitibus, sicut sæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur.

De admonitione ad Abbates & laicos pro monasteriis ex regali largitate sibi commissis.

Ibid. 8. VIII. Abbatibus quoque & laicis specialiter jubemus ut in monasteriis quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio & documento ea quæ ad religionem Canonicorum, monachorum, sandimonialium pertinent, peragant, & eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant & obediant.

De admonitione ad Episcopos, Abbates, & ad omnes fideles, pro Comitum adiutorio.

Ibid. 9. IX. Episcopis iterum, Abbatibus, & vasis nostris, & omnibus fidelibus laicis

dicimus ut Comitibus ad iustitias faciendas adjuutores sitis.

De admonitione ad Episcopos vel omnes pro concordia ad invicem & cum ceteris fidelibus.

X. Episcopi verò vel Comites & ad invicem & cum ceteris fidelibus concorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adiutorium ferant.

De admonitione ad omnes generaliter pro caritate & pace ad invicem.

XI. Omnibus etiam generaliter dicimus ut caritatem & pacem ad invicem habeatis, & generalem iustionem nostram generaliter observare deceratis, & Missis nostris pro qualicumque scilicet aut ecclesiastica aut publica utilitate vel opportunitate à nobis directis nostri honoris causa honorem exhibeatis, & nostræ propter auctoritatis venerationem ea quæ per illos injungimus agere non negligatis.

De hoc quòd unusquisque Episcoporum vel Comitum partem ministerij regalis habeat, & de testimonio ipsorum ad invicem.

XII. Et quoniam, sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerij nostri per partem habere dinoscitur, volumus studere & per clamatores & per alia quælibet certa indicia & per Missos nostros, quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit, & per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis, comperire qualiter scilicet Comites iustitiam diligant & faciant, & quam religiosè Episcopi converterentur & prædicent, & amborum relatu de aliorum fidelium in suis ministeriis consistentium æquitate & pace atque concordia cognoscere. Similiter etiam volumus ut omnes illis & illi omnibus de communi societate & statu à nobis interrogati verum testimonium sibi mutuo perhibere possint.

De causâ orta ad inhonorationem regni pertinente.

XIII. Et si talis causa in qualibet provincia aut in aliquo comitatu orta fuerit quæ aut ad inhonorationem regni aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam sine nostra potestate corrigi non possit, nos diù latere non permittatis, qui omnia corrigere debemus: quia quicquid hæcenus in his quæ ad pacem & iustitiam totius populi pertinent & ad honorem regni & communem utilitatem aut à nobis aut à vobis neglectum est, debemus Deo auxiliante certare qualiter abhinc nostro & vestro studio emendatum fiat.

De pace in itinere exercitali cassodienda.

Ibid. 14. XIV. De pace verò in exercitali itinere servanda usque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quòd quicumque auctorem damni sibi praterito anno inlati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quaerat & accipiat.

De denuntiatione, ut qui in hostem pergunt, suos qui in suo obsequio sunt unusquisque cognoscat.

Ibid. 15. XV. Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus ut cognoscat unusquisque omnes qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni; ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum; & quicquid ipsi in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere; ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram Misso nostro, dignas penas persolvat; & senior qui secum talem duxerit quem aut constringere noluit aut non potuit ut nostram jussionem servaret, & insuper in nostro regno prædas facere non timeret, pro illius negligentia, si antè eum de his non admonuit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere sicut decet neglexerit, honore suo privetur; ut scilicet neuter illorum sine juxta vindicta remaneat.

De inhonoratione Regis propter negligentiam eorum qui legationes malè recipiunt.

Ibid. 16. XVI. De inhonoratione quoque Regis & regni, & mala fama in exteris nationes dispersa, propter negligentiam eorum qui legationes ad nos directas in suis mansionibus aut malè recipiunt, aut constitutam à nobis expensam non tribuunt, aut paravereda dare nolunt, aut furto aliquid eis subripiunt, aut, quod perperissimum est, apertas violentias eos cædendo, & res eorum diripiendo, in ipsis exercere non pertimescunt, hoc omnibus notum esse volumus, quòd quicumque ex his qui honores nostros habent abhinc negligentiam hanc emendare non certaverit, & suos homines, qui ejus vice hoc agere debent, ut id benè perficiant non instruxerit aut constringerit ut ulterius illud negligere non præsumant, & honorem nostrum & regnum nobis commissum custodire contempserit, nec nostrum nec regni nostri honorem ulterius volumus ut habeat; sed volumus ut unusquisque fidelium nostrorum procuratores rerum suarum de his specialiter instruat, ut quandocunque &

undecunque legatio advenerit, & aut literas aut Missum viderint, honorificè illam in omni loco imperij nostri, propter nostrum & totius regni honorem, omnes suscipere valeant.

De locis in quibus legationes recipiende sunt.

XVII. In illis verò locis ubi modò via & mansionatici à genitore nostro & à nobis per Capitulare ordinati sunt, Missos ad hoc specialiter constitutos, qui hoc jugiter prævideant, habeant, ut omnia que ad eandem legationes suscipiendas pertinent, fideles nostri ad hoc constituti ad tempus præparare studeant, ut non tunc sit necesse de longè quaerere vel adducere quando tempus est illa dare vel persolvere. In ceteris verò locis per totum imperium nostrum unusquisque fidelium nostrorum & per se & per ministros suos, sicut diximus, sedulam vigilantiam adhibeat.

De admonitione unius monetæ.

XVIII. De moneta verò, unde jam Ibid. 18. per tres annos & admonitionem fecimus & tempus quando una teneretur & alia omnes cessarent constituimus, hoc omnibus notum esse volumus, quoniam ut absque ulla excusatione citò possit emendari, spatium usque ad Missam sancti Martini dare decrevimus ut unusquisque Comitum in suis ministeriis de hoc jussione nostram tunc possit habere adimpletam; quatinus ab illa die non alia, sed illa sola per totum regnum nostrum ab omnibus habeatur, juxta illam constitutionem, sicut in Capitulis quæ de hac re illis Comitibus dedimus in quorum ministeriis moneta percutitur constitutum est. Quia tunc volumus Missos nostros hujus rei gratia dirigere per singulos comitatus, qui diligenter inquirent qualiter Comites in hoc nostram jussionem adimplere certaverint. Et quicumque negligens inde inventus fuerit, volumus ut ante nostram præsentiam quantociùs venire jubeatur, & rationem reddat utrum hoc quod jussimus facere noluerit aut non potuerit; aut si aliqua re præpediente id facere non potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non adnuntiavit. Quia si ipse aut non voluit, aut suæ negligentie causa non potuit, nos talem invenire volumus qui hoc quod jubemus servare velit & possit. Ut autem jussio nostra in hac re citius impleatur, volumus ut quicumque ab illa die alium denarium negotiandi causa protulerit, à Comite & ministris ejus auferatur ab eo.

De injustis teloneis.

Ibid. 19. XIX. Similiter quoque de injustis teloneis, de quibus qualiter ab omnibus observandum esset, & Capitulis constitutum, & creberrimas admonitiones fecimus, prædicti Missi nostri volumus ut inquisitionem faciant à quibus nostra iussio in hoc adimpleta, à quibus quoque sit neglecta; & cum qui implere neglexit aut distulit, ad nostram volumus ut veniat iussus præsentiam, ut citò rationem de his, sicut superius diximus, reddat, & si culpabilis inventus fuerit, dignam correctionem accipiat, ut ceteris negligentibus exemplum terroris præbeat.

De pontibus ubi antiquitus fuerant renovandis.

Ibid. 20. XX. Ut ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis ubi tempore genitoris nostri ipso iubente diversarum necessitatum causa facti sunt, omnino absque ulla dilatione ab his qui eos tunc fecerunt restituantur & renoventur, ita ut ad Missam sancti Andree restaurati fiant, nisi fortè aut ipsa operis magnitudo aut aquarum in quolibet mundatio hoc prohibeat. Aliter verò nullus qualibet occasione hoc negligere aut differre præsumat quin ad prædictum tempus completum fiat. Et Missi nostri, quorum superius mentionem fecimus, volumus ut renuntient in quibus locis nostra iussio impleta, in quibus neglecta est, aut aliqua impossibilitate vel certa ratione dilata.

De nonis & decimis.

Ibid. 21. XXI. De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster & nos frequenter & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque iubemus ut de omni conlaborato & de vino & sceno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine verò prodecima, sicut hæcenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit.

De operibus in restorationem Ecclesiarum adimplendis.

Ibid. 22. XXII. Similiter quidem de operibus in restorationem Ecclesiarum, sive in faciendis, sive in redimendis, episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat quin, sicut à nobis sæpe iussum est, hoc aut illud partibus Eccle-

siarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicumque negligenter exinde egerit, & coram nobis exinde negligens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat quod in nostro Capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus.

De Comitibus, ut ministris Ecclesie in suis ministeriis adjutores sint.

XXIII. Comites verò ministri Ecclesie in eorum ministeriis, ut hoc plenius & de nostris & de se & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicumque prima & secunda vice de his à Comite admonitus non se se correxerit, volumus ut per eundem Comitem ejus negligentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro Capitulari continetur subire cogatur.

De Capitulis à Cancellario palatii ab Archiepiscopis & Comitibus accipiendis.

XXIV. Volumus etiam ut Capitula quæ nunc & alio tempore consultu nostrorum fidelium à nobis constituta sunt, à Cancellario nostro Archiepiscopi & Comites eorum de propriis civitatibus modò aut per se aut per suos Missos accipiant, & unusquisque per suam diocesim ceteris Episcopis, Abbatibus, Comitibus & aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, & in suis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Cancellarius tamen noster nomina Episcoporum & Comitum qui ea accipere curaverint notet, & ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat. Vassus quoque & vassalli nostri nobis famulantes volumus ut condignum apud omnes habeant honorem, sicut à genitore nostro & à nobis sæpe admonitum est.

De nominibus locorum in quibus Missi dominici legatione funguntur.

XXV. In Velontio, quæ est diocesis Bernoini Archiepiscopi, Heiminus Episcopus & Monogoldus Comes. In Mogontia, quæ est diocesis Heistulsi Archiepiscopi, idem Heistulus Episcopus & Ruobertus Comes. In Treveris Hetti Archiepiscopus & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiepiscopus & Eemundus Comes. In Remis Ebbo Archiepiscopus, quando potuerit; & quando ei non licuerit, Ruoradus Episcopus ejus vice & Ruotfridus Comes sint super sex videlicet comitatus, id est, Remos, Catalaunem,

launem, Sueffionem, Silvanectem, Belvacum, & Laudunum. Super quatuor verò episcopatus qui ad eandem diocesim pertinent, id est, Noviomacensem, Ambianensem, Tarvanensem, & Camaracensem, Ragenarius Episcopus & Berengarius Comes. Senones Hieremias Archiepiscopus & Donatus Comes. Rotomagum Vvillebertus Archiepiscopus & Ingobertus Comes. Turonem Landrannus Archiepiscopus & Ruobertus Comes. Lugdunum, Tarentasia, & Vienna Albericus Episcopus & Richardus Comes.

De commemoratione ad legationem predictorum Missorum pertinente.

Ibid. 16. XXVI. Commemoratio quid ad prædictorum Missorum legationem pertineat. Primò, ut conventum in duobus aut tribus locis congregent, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire possint; & omnibus generaliter notum faciant qualis sit eorum legatio, scilicet ad hoc se esse à nobis Missos constitutos ut si quilibet Episcopus aut Comes ministerium suum propter quodlibet impedimentum implere non possit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio ministerium suum adimpleat. Et si talis causa fuerit quæ per eorum admonitionem emendari non possit, per eos ad nostram notitiam deferatur. Et si fortè Episcopus aut Comes aliquid negligentius in suo ministerio egerit, per istorum admonitionem corrigatur. Et omnis populus sciat ad hoc eos esse constitutos ut quicumque per negligentiam aut incuriam vel impossibilitatem Comitum justitiam suam acquirere non potuerit, ad eos primùm querelam suam possit deferre, & per eorum auxilium justitiam acquirere, & quando aliquis ad nos necessitatis causa reclamaverit, ad eos possimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipsi verò Missi non sine certissima causa vel necessitate huc illucque discurrant, nisi fortè quando tale aliquid in cujuslibet ministerio ad legationem suam pertinente ortum esse cognoverint quod eorum præsentia indigeat, & sine illorum consilio vel adjutorio emendari non possit. Inde tamen debent esse solliciti, ut propter illorum negligentiam nihil in sua legatione incorrectum remaneat, sed ubi certam & veram necessitatem cognoverint, nostram iussionem adimplere non negligant.

Tom. I.

De hoc quòd per Missos dominicos ea quæ per Capitula statuta sunt, omnibus nota fieri debeant.

XXVII. Volumus etiam ut omnibus ^{Ibid. 17.} notum sit quia ad hoc constituti sunt ut ea quæ per Capitula nostra generaliter de quibuscunque causis statuimus, per Missos nota fiant omnibus, & in eorum procuratione consistant, ut ab omnibus adimpleantur. Et ubi fortè aliquo tali impedimento, quod per eos emendari non possit, aliquid de his quæ constituimus ac iussimus remanserit imperfectum, eorum relatu nobis ad tempus indicetur, ut per nos corrigatur quod per eos corrigi non potuit.

Admonitio ad eos qui legatione funguntur.

XXVIII. Nolle vos credimus quanti sit ponderis legatio quam vobis commissimus, & quam sit periculolum tantæ rei curam negligere quantam vos pro nostra omnium communi salute ex nostra obligatione suscepisse non ignoratis. De qua re cum vos interrogassemus, non sic nobis responsum est ut in eo responso sufficere potuisset ad eam dispositionem quam rerum necessitas ad communem utilitatem pertinentium potèere videbatur, vel quæ nobis aliquod securitatis solatium afferre potuisset. Et hoc ideo evenisse perpeximus quia anno præterito, quando Capitula legationis vestræ vobis dedimus, cautè vos observare iussimus ne sine causa his quos honoratos esse volumus aliqua fieret injuria. Quapropter volumus vobis notum facere qualiter nunc Domino adjuvante eandem iussionem nostram debeatis adimplere. Volumus ut Missi nostri, quos ad hoc constitutos habemus, ut curam & sollicitudinem habeant quatinus unusquisque qui rector à nobis populi nostri constitutus est, in suo ordine officium sibi commissum justè ac Deo placitè ad honorem nostrum ac populi nostri utilitatem administret, in hunc modum cognoscendi diligentiam adhibeant, si ea quæ in Capitalari nostro quod eis anno præterito dedimus continentur, secundum voluntatem Dei ac iussionem nostram fiant adimpleta. Itaque volumus ut medio mense Maio convenienter idem Missi, unusquisque in sua legatione, cum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac vassis nostris, advocatis nostris, ac Vicedominis Abbatissarum, necnon & eorum qui propter aliquam inevitabilem necessita-

S f

tem ipsi venire non possunt, ad locum unum. Et si necesse fuerit, propter oportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maximè propter pauperes populi, idem conventus habeatur, qui omnibus congruat. Et habeat unusquisque Comes Vicarios & Centenarios suos, necnon & de primis Scabineis suis tres aut quatuor. Et in eo conventu primùm Christianæ religionis & ecclesiastici ordinis collatio fiat. Deinde inquirant Missi nostri ab universis qualiter unusquisque illorum qui ad hoc à nobis constituti sunt officium sibi commissum secundum Dei volunta-

tem ac iussionem nostram administret in populo, & quàm concordēs atque unanimes ad hoc sint, vel qualiter vicissim sibi auxilium ferant ad ministeria sua peragenda. Et tam diligenter ac studiosè hanc investigationem faciant ut omnem rei veritatem per eos cognoscere valeamus. Et si aliqua talis causa ad eorum notitiam perlata fuerit quæ illorum auxilio indigeat, secundum qualitates causarum quæ in nostro Capitulari continentur, tunc volumus ut illuc pergant, & ex nostra auctoritate illud corrigere studeant.

COMMONITORIUM

Datum Hieremiæ Archiepiscopo Senonensi & Ionæ Episcopo Aurelianensi à Ludovico Pio Imperatore anno DCCCXXIV. cum ab ipso legati Romam irent ad Eugenium II. Papam Romanum, in causa imaginum.

Hieremiæ & Ionæ venerabilibus Episcopis in Domino salutem. Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi VIII. Idus Decembris, deferentes collectiones de libris sanctorum patrum, quas in conventu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, & ad id propter quod collectæ sunt necessariæ atque utiles à nobis judicantur, sub omni celeritate censuimus dirigendas. Idcirco admonendo præcipimus solertia vestra ut priusquam de his aliquid Domino Apostolico indicetis, diligenti cura eadem vos recensere curetis, & ea quæ melius & aptius præfenti negotio convenire inveneritis, excerpere atque describere illique ad legendum offerre studeatis. Quia enim, ut nolitis, nos ab eo petere volumus licentiam quatenus has collectiones à sacerdotibus nostris fieri permitteret, ideo non poterit prætermitti quin ostendatur quod ex ipsius permissione collectum est. Illud tamen summopere prævidete, ut ea illi de his ostendatis quæ rationi de imaginibus habendæ per omnia conveniant, & quod ipse vel sui rejicere minime valeant. Sed & vos ipsi tam patienter ac modestè cum eo de hac causa disputationem habeatis ut summopere caveatis ne nimis ei resistendo

eum in aliquam inrevocabilem pertinaciam incidere compellatis, sed paulatim, verbis ejus quasi obsequendo magis quàm apertè resistendo, ad mensuram quæ in habendis imaginibus retinenda est eum deducere valeatis, & ideo potius efficere contendatis ut negotium de quo agitur ad meliorem quàm ad pejorem statum cum Dei adjutorio perducatur. Postquam verò hanc rationem de earundem imaginum causa consummaveritis, si tamen hoc ad nihilum Romana pertinacia permisit, ut ratio inter vos habita aliquo bono & convenienti sine claudatur, & ille vobis indicaverit quòd legatos suos ob eandem causam in Græciam mittere velit, volumus ut eum interrogetis si ei placeat ut nostri legati pariter cum suis in Græciam pergant. Et si hoc ei melius visum fuerit, scè que omnino velle respondent, tunc volumus ut sub omni festinatione litteris vestris à vobis ad nos directis nos inde certos faciatis, simulque & de vestro adventu ad nos, ut eo tempore quo vos ad nostram veneritis præsentiam, Halitgarium & Amalarium nobiscum inveniant. Vos autem cum Domino Apostolico considerate ubi ille vel quando velit ut sui ac nostri legati ad naves conscendendas se jungere debeant, & hoc nobis per nosmetipsos, cum Deo volente veneritis, adnuntiare potestis.

EPISTOLA AD EVGENIVM II. PAPAM

Missa per Hieremiam & Ionam Episcopos, cum actis synodi
Parisiensis.

Sacratissimo ac reverendissimo Domino & in Christo patri Eugenio summo Pontifici & universali Papae Hlodouivici & Hlotharii divina ordinante providentia Imperatores Augusti, spiritales filij vestri, sempiternam in Domino nostro Iesu Christo salutem. Quia veraciter nos debitores esse cognovimus ut his quibus regimen Ecclesiarum & ovium dominicarum cura commissa est in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus opem atque auxilium pro qualitate virium nostrarum & intellectus nostri capacitate feramus, idcirco praetermittere nequimus quin tunc, quando legati Graecorum nobis manifestaverunt qualem ad vos deberent perferre legationem, summa cura ac sollicitudine tractarem quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuissemus. Et ob hoc a vestra sanctitate petivimus ut sacerdotibus nostris liceret de libris sanctorum patrum sententias quaerere atque colligere quae ad eandem rem pro qua iidem legati vos consulturi erant veraciter definiendam convenire potuisent: quas cum illi juxta concessam etiam a vobis licentiam solerter inquirerent, & divina opitulante gratia quicquid invenire tam brevi temporis spatio potuerunt collegissent, nobis ea perlegenda direxerunt. Quibus perlectis, ea vestrae sanctitati legenda atque examinanda per hos legatos nostros, Hieremiam scilicet & Ionam venerabiles Episcopos, mittere curavimus; cum quibus, si vestra paternitas dignum duxerit, de eadem legatione quae in Graeciam a vobis mittenda est non inutilem sed potius proficuum conlationem habere potestis, quia & in sacris sunt literis admodum eruditi, & in rationibus disputatoris non minimum exercitati. Quos non ob hoc ad vestrae almitatis praesentiam cum memoratis sententiarum collectionibus misimus ut hic aliquo velut magistris officio fungerentur, aut huc do-

cendi gratia directi putarentur: quia, sicut jam commemorati sumus nos debitores existere ut huic sacratissima sedi in quibuscunque negotiis auxilium ferre debeamus, ideo & hos Missos & quas deferunt litteras, si quid vobis adjutorij conferre potuisent, mittere dignum duximus. Hos vestrae sanctitati commendamus, ut & benignam apud vos receptionem & familiariter vobiscum loquendi locum inveniant. Novit quippe sanctitas vestra qualiter populus Graecorum in hac imaginum veneratione divisus sit. Ideo rogamus ut almitas vestra curam & diligentiam adhibere dignetur quomodo per vestram saluberrimam doctrinam atque admonitionem magis ad concordiam & unitatem revocetur quam propter hoc ad majorem discordiam & disensionem impellatur. Et ideo cautissime considerare debetis ut legatio vestra, quam illuc dirigere disponitis, tanta prudentia tantoque moderamine suffulta sit ut a nemine, neque Graeco, neque Romano, justè valeat reprehendi, sed talis sit qualem semper decet in omnibus causis ab ista sacratissima sede proficisci. Et si vestrae sanctitati placet ut pro hac ipsa legatione Missi nostri simul cum vestris illas in partes dirigantur, & hoc nos tempore congruo scire permittite. Et non solum hoc, sed etiam si ituri sunt, ubi & quando cum vestris Missis se jungere debeant. Non ideo tamen de Missis nostris illuc dirigendis interrogamus quasi necessarium nobis videatur, aut nos vestros Missos hanc legationem per se perficere dubitemus; sed potius propter hoc eos vobis offerimus ut sciat nos in omnibus esse paratos quae hujus sacratissimae sedis necessitas aut voluntas postulaverit. Optamus sanctam & venerabilem ac piam paternitatem vestram semper in Christo bene valere & nostri ac nostrorum omnium in sacrosanctis orationibus meminisse, sanctissime ac beatissime pater.



SACRAMENTALE PROMISSIONIS

Quod clerus & populus Romanus fecerunt Ludovico
Pio Imperatori & Lothario filio ejus anno
DCCCXXIV. præfente Lothario.

Promitto ego ille per Deum omnipotentem, & per ista sacra quatuor evangelia, & per hanc crucem Domini nostri Iesu Christi, & per corpus beatissimi Petri principis Apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero Dominis nostris Imperatoribus Hludouico & Lothario diebus vitæ meæ juxta vires & intellectum meum sine fraude atque malo ingenio, salva fide quam repromisi Domino Apostolico, & quod non consen-

tiam ut aliter in hac sede Romana fiat electio Pontificis nisi canonicè & justè, secundum vires & intellectum meum, & ille qui electus fuerit, me consentiente consecratus Pontifex non fiat priusquam tale sacramentum faciat in præsentia Missi Domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale Dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum.

CAPITVLARE INGILENHEIMENSE

Datum anno Christi DCCCXXVI. ut conjecit Sirmondus, cujus est sequens præfatiuncula.

ADMONITIO SIRMONDI.

DE synodo seu conventu publico qui anno DCCCXXVI. habitus est apud Ingilenheim & de rebus in eo gestis scribit auctor vitæ Ludovici Pij his verbis. *Imperator vero, inquit, Kalendis Junij mensis ad Ingelheim venit, ibidemque illi conventus populi sui, secundum quod præceperat, occurrit. In eodem placito, secundum morem suum, multa quæ Ecclesie essent utilia admonuit, statuit, ac definit, legationesque tam à sancta sede Romana quam à monte Oliveti per Dominicum Abbatem perlatas suscepit, audivit, absoluit &c.* Extra in collectione Benedicti Levitæ lib. VI. cap. XCVII. edictum Ludovici Pij de iis qui rapinas faciunt: quod cum in Ingilenheim decretum dicatur, ad hunc ipsum, de quo agimus, conventum referendum videtur.

Capitula Domni Hludouici in Ingilenheim apostolica auctoritate, & synodali sanctione, omnium Clericorum ac laicorum generaliter consensu atque hortatu decreta.

De his qui rapinas infra regnum faciunt.

VI. 97.
38.

I quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulerit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id

est, sexaginta solidos nobis persolvat. Postmodum verò ante nos à Comite adducatur, ut in bastonico retrusus, usquedam nobis placuerit, penas luat. Nam si publicè actum fuerit, publicam inde agat penitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si verò occultè, sacerdotum

consilio ex hoc agat penitentiam: quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint penitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abtulerit, gravius inde iudicetur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid aut abstulerit aut rapuerit. Infames quoque tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ.

De sacerdotibus & Levitis atque monachis interfectis vel debilitatis.

Ibid. 98. II. Si quis sacerdotem vel Levitam aut monachum interfecerit vel debilitaverit, juxta statuta priorum capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos nobis persolvat, & arma relinquat, atque in monasterio diebus vitæ suæ sub ardua penitentia Deo serviat, nusquam postmodum seculo vel secularibus militaturus, neque uxori copulaturus.

De his qui Episcopo aliquam injuriam vel dehonorationem fecerint.

Ibid. 99. III. Si quis Episcopo aliquam injuriam aut injustam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnia quæ habere visus fuerit, Ecclesiæ cui præesse dinoscitur integerrimè societur, & nobis in triplo bannus noster, id est, sexaginta solidi persolvantur, aut ipse in servitio fisco nostro serviturus semper societur usque se redimere in triplo juxta vvirgildum suum poterit. Sancta verò Ecclesiæ in sacerdotibus constat. Idcirco magna pœna plecendi sunt qui Episcopis vel reliquis sacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice legatione in Ecclesiæ funguntur.

De religiosa muliere decepta, id est, veste mutata, vel religionem professâ.

IV. Si quis rapuerit aut sollicitaverit vel corrupit religiosam feminam, bona amborum Ecclesiæ vindicet in qua talis mulier habitavit. Ipsi tamen capitali periculo subiciantur. Quod si hoc mulier non consentit, cum suis rebus monasterij ditionibus tradatur. Si verò Comes ipsius pagi, una cum consilio sui Episcopi in cuius parrochia tale scelus commissum est, hoc vindicare neglexerit, honore careat, & cingulum amittat, atque publica penitentia multetur, & insuper vvirgildum suum fisci viribus dare compellatur.

De blasphemia in Deum.

V. Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum iactaverit, ab Episcopo vel Comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactionem tradatur, & publica penitentia multetur, donec precibus proprii Episcopi publicè reconcilietur, Ecclesiæque gremio canonicè reddatur.

De his qui in domo sua oratorium fecerint.

VI. Qui in domo sua oratorium habuerit, orare ibidem potest. Missas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, sine permisso vel dedicatione Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes verò qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica penitentia multetur, vel honore privetur.

De privilegiis Ecclesiarum & Clericorum non corruptendis.

VII. Ut privilegia quæ Ecclesiis & Clericis ab antecessoribus nostris vel nobis concessa sunt, semper maneant incorrupta.

PRÆCEPTVM IMPERATORIVM

De institutione monachorum in monasterio Dervenfi,
Datum anno Christi DCCCXXVII.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus & Hlotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti. Si petitionibus servorum Dei iustis & rationalibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis à Domino impertiri credimus.

Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris presentibus scilicet & futuris quia adiens serenitatem culminis nostri vir religiosus Hauto Abba ex monasterio quod vocatur Puteolus, quod est in Dervo constructum in honore beatorum Petri & Pauli, suggessit

SI ij

mansuetudini nostræ eò quòd prædictum monasterium, ubi ille Dei cultor Abba præest, aptum esset ad monasterium regulare; quia non solum idem locus, ubi præfatum monasterium fundatum est, verum etiam & omnes adjacentias congruas haberet servis Dei monasticam vitam degere volentibus. Nam & privilegia qualiter ipsum monasterium ad monasticum ordinem perficiendum fundatum esset, & præcepta regalia nobis ostendit, ubi liquidò apparuit quòd antiquitus regulare monasterium fuisse. Nos verò hanc rem diligentius scire volentes iussimus venerabilem virum Hebonem Remensem Archiepiscopum & aliquos ex suffraganeis suis ad prædictum locum ire & diligenter intueri, non solum si ipse locus aptus esset ad monasticum ordinem observandum, verum & utrum Clerici ibi degentes monasticè vellent vivere an non. Illi verò nostris iussibus obtemperantes, sicut nobis prædictus Hebo Archiepiscopus renuntiavit, & aptum locum invenerunt ad normam regularem custodiendam, & Clericos ibi degentes sponte vitam monasticam, sicut illis professi sunt, suscipere & perpetuò observare velle. Sed ut prædictus ordo monasticus in eodem loco nostris & futuris temporibus ad nostram successorumque nostrorum perpetuam eleemosynam dignè observaretur, & monachi per tempora degentes secundum regulam sancti Benedicti vitam degerent, prædictus Hauto Abba precibus quibus valuit rogavit ut nostrum confirmationis præceptum idem monasterium habere mereretur, sicut

cetera monasteria monachorum in regno Deo propitio nostro habere noscuntur. Cujus petitionem justam & rationabilem judicantes, per hos imperiales apices nostros præcipimus atque iubemus ut abhinc in futurum prædictum monasterium sub monastico ordine persistat, & monachi ibi degentes sub regula sancti Benedicti Domino sibi adjuvante perenniter vitam ducant monasticam. Et quandoquidem divina vocatione prædictus Abba ab hoc seculo migraverit, quandiu ipsi monachi inter se talem eligere poterint qui illis secundum regulam præesse & prædesse possit, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbates, qualiter monachi per tempora ibi degentes pro nobis, conjugibus, ac liberis nostris, seu totius regni nostri stabilitate Domini misericordiam indefinenter exorare delectentur. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio ac confirmatio per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus & anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Hludouici gloriosissimi Imperatoris.

Signum Hlotharij serenissimi Augusti.

Durandus Diaconus ad vicem Fredugili recognovit.

Data 11. Idus Februarij anno Christo propitio XI. imperij Domini Hludouici piissimi Augusti & Hlotharij x. Indiæ. v.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.



CAPITVLARE

ANNI DCCCXXVIII.

QUALITER CONVENTVS EPISCOPORVM

FIERI DEBEAT.

ANno sexto decimo regnante Domino nostro Hludouico conventus Episcoporum debet fieri in quatuor locis, id est, in Mogontiaci, in quo isti Archiepiscopi cum eorum suffraganeis convenire debent, Autarius, Hadebaldus, Hetti, Bernuinus. In Parisio Ebbo, Ragnouardus, Lantramnus, Archiepiscopus Senonis qui fuerit, cum eorum suffraganeis. In Lugduno Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agarius, cum eorum suffraganeis. In Tolosa Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulfus, cum eorum suffraganeis. In quibus conventibus tractare, quarere, & cum Dei adiutorio invenire debent de causis ad religionem Christianam & eorum curam pertinentibus, & quid à principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte

vel ex toto dimissum sit ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum qui pastores populi constituti sunt moribus, conversatione, & actibus inveniri possit quod divina regulæ atque auctoritati non concordet, simulque invenire quæ occasiones in utroque ordine id effecerint ut à recto tramite deviasent. Et quicquid ab eis de his causis inventum fuerit, tam sollerti cura custodiatur ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus constitutum. Et ideo unus Notarius inter omnes eligatur, qui quod ipsi invenerint subtiliter describat, & sub iuramento constrictus fideliter conservet. Volumus etiam ipsorum conventum fieri octabas Pentecosten, Missi verò nostri suam incipiant legationem peragere octabas Paschæ.

HÆC CAPITVLA AB EPISCOPIS IN EISDEM CONCILIIS TRACTANDA SVNT.

I. De decimis quæ ad capellas dominicas dantur, & hominibus qui eas habent & in suos usus convertunt.

II. De feminis quæ in quibusdam locis inrationabiliter velamen sanctum sibi imponunt.

III. Similiter de monasteriis puellarum in legatione Autgarij, in quibus nullus ordo bonæ conversationis tenetur.

IV. De monasteriis etiam diversis in missatico Alberici.

V. De iudicio aquæ frigida.

VI. De his qui usus inserviunt.

VII. Volumus atque iubemus ut Missi nostri diligenter inquirent quanti homines liberi in singulis comitatibus maneant qui per se possint expeditionem facere, vel quanti de his quibus unus alium adjuvet, quanti etiam de his qui à duobus tertius adjuvetur & præparetur, necnon de his qui à tribus quartus adjuvetur & præparetur, sive de his qui à quatuor quintus adjuvetur & præparetur, ut eandem expeditionem exercitalem facere possint, & eorum summam ad nostram notitiam deferant.

EPISTOLA QUÆ GENERALITER POPVLO DEI EST LEGENDA.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludouicus & Hlotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti omnibus fidelibus fan-

ctæ Dei Ecclesiæ & nostris. Recordari vos credimus qualiter hoc anno consilio sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum generale jejuniū per totum regnum no-

strum celebrare iussimus, Deumque tota devotione deprecari ut nobis propitiaret in quibus illum maxime offensum habemus nobis manifestare, & ut ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus siquidem tempore congruo placitum nostrum generale habere, & in eodem de communi correctione agere; & ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum, sicut nostis, præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit iuxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, & in eo de his quæ propter prædictum impedimentum remanserunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante considerare. Quapropter nosse volumus sollicitiam vestram quod in isto præsentis placito cum fidelibus nostris consideravimus ut primo omnium Archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de sua quam de omnium nostrum correctione & emendatione secundum divinam auctoritatem quaerendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundum ministerium sibi commissum adnuntiarent. Item consideravimus ut Missos nostros per universum regnum nostrum mitteremus, qui de omnibus causis quæ ad correctionem pertinere viderentur quanto potuissent studio decertarent, & quic-

quid possibile invenirent, præsentialiter nostra auctoritate corrigerent; & si aliqua difficultas in qualibet re eis obsisteret, ad nostram notitiam deferre curarent. Quapropter volumus ut vos omnes propter communem salutem & regni honorem ac populi utilitatem obedientes & adiutores Missis nostris in omnibus pro viribus esse non neglegatis; simulque sciatis ob hanc causam nos velle per singulas hebdomadas uno die in palatio nostro ad causas audiendas sedere ut per hunc aut illum Comitem & providentia Missorum & obedientia populi nobis manifestius appareat. Et ut hæc omnia successum habeant, volumus ut generale triduanum jejunium secunda feria post octavas Pentecosten celebrandum indicetur, & generaliter ab omnibus cum summa devotione observetur. Et quia undique inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ commoveri & regnum à Deo commissum infestare velle cognoscimus, præcipimus atque jubemus ut omnes homines per totum regnum nostrum, qui exercitibus itineris debitores sunt, bene sint præparati cum equis, armis, vestimentis, carris, & victualibus, ut quocumque tempore eis à nobis denuntiatum fuerit, sine ulla mora exire & in quacumque partem necessitas postulaverit pergere possint, & tamdiu ibi esse quandiu necessitas postulaverit.

HÆC SVNT CAPITVLA DE INSTRUCTIONE MISSORVM.

Dicendum est illis quia necesse est ut intelligamus omnes communiter quale periculum nobis imminet, in eo maxime quod in nostra negligentia tanta & talia, per quæ Deus offendi potuit, & honor & honestas regni decreverit, adhuc autem etiam aliam intellectam habemus negligentiam ex priori occasione notam, id est, quod ipsa legatio non ita perfecta fuit sicut ipsa necessitas deposebat, quamquam ex parte vos dicatis nos materiam in eo dedisse quod non per omnia ad hanc necessitatem inquirendam plenam vobis dedissemus iussionem. Ideo summopere tractandum est quomodo Domino adjuvante & in præsentis de his quæ per negligentiam & incuriam de pravata sunt corrigantur, & ne ultra talia fiant sollicitè caveatur. Post hæc focij denominandi sunt, & tunc qualis debeat esse legatio injungenda est.

I. Primo injungendum est Missis ut hoc omnimodis caveant, ne populo in eorum professione oneri sint; ne forte quibus subvenire debuissent afflictionem inferant.

II. Ut primo nostram populo voluntatem & studium, & qua intentione à nobis sint directi, per nostrum scriptum nuntient. Instruendi sunt etiam quid inquirent.

III. In primis hoc maxime inquirent, quomodo hi qui populum regere debent, unusquisque in suo ministerio se custoditum habeat, ut qui bene faciendo gratiarum actione digni sunt cognoscamus, qui verò correctionem & increpationem pro eorum negligentia merentur, omnimodis nobis manifesti fiant. Inquisitio autem hoc modo fiat. Eligantur per singulos comitatus qui meliores & veraciores sunt. Et si aliquis inventus fuerit de ipsis qui fidelitatem

delitatem promissam adhuc nobis non habeat, promittat. Et tunc instruendi sunt qualiter ipsam fidem erga nos salvare debeant, id est, ut quicumque ex his talem causam scit in illis rectoribus & diversis ministris qui populum regere & salvare debent, de quibus interrogati fuerint, que ad populi damnum & detrimentum perti-

near, & propter hoc nobis periculum animæ evenire possit & inhonoratio, omnino, si salvam voluerit suam fidem & promissionem habere, manifestum faciat. Et si post talem admonitionem & contestationem aliter quam se veritas habeat dixisse aliquis deprehensus fuerit, sciat se inter infideles esse reputandum.

HÆC SVNT CAPITVLA QUÆ VOLVIMVS VT DILIGENTER INQVIRANT.

Primò de Episcopis, quomodo suum ministerium expleant, & qualis sit illorum conversatio, vel quomodo Ecclesias & clerum sibi commissum ordinatum habeant atque dispositum, vel quibus rebus maximè studeant, in spiritalibus videlicet aut in secularibus negotiis. Deinde quales sint adjutores ministerij eorum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, & Vicedomini, & Presbyteri per parochias eorum, quale scilicet studium habeant in doctrina, vel qualem famam habeant secundum veritatem in populo. Similiter de omnibus monasteriis inquirent juxta uniuscujusque qualitatem & professionem. Similiter & de ceteris Ecclesiis nostra auctoritate in beneficio datis. Vtrum Episcopi in circumeundo parochias suas ceteras minores Ecclesias gravent, aut populo oneri sint, & si ab ipsis aut à ministris eorum indebita exenia à

Presbyteris exigantur. Simili modo de Comitibus inquirent, quale studium de suo habeant ministerio, ut qui bene exinde facit cognoscamus. Si aliter facit, & hoc nosse omnino volumus. Id est, si populus per suam negligentiam & desidiam justitia & pace careat, aut si ipse sciens aut nesciens aliquid injustè factum habeat. Deinde ergo quales ministros habeat ad populum regendum missos, utrum justè an injustè in ipsis ministerijs agant, aut consentiente vel negligente Comite à veritate & justitia declinent. Quæ personæ vel de quibus causis culpabiles ad præsentiam nostram venire debeant discernendum est. Exceptis Episcopis, Abbatibus, Comitibus, qui ad placita nostra semper venire debent, isti venient, si in talibus culpis & criminibus deprehensi fuerint quales inferius adnotatæ sunt.

EPISTOLA GENERALIS

Quam Ludovicus Pius Imperator ex placito Aquisgranensi misit, de Conciliis Episcoporum in quatuor imperij partibus congregandis.

INCIPIT EPISTOLA CÆSAREA,

QUÆ GENERALITER POPVLO DEI EST LEGENDA.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus & Hlotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris. Recordari vos credimus qualiter hoc anno consilio Sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum generale jejunium per totum regnum nostrum celebrare iussimus, Deumque tota devotione deposcere ut nobis propitiari, & in quibus illum maximè offendi-

derimus nobis manifestare, & ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus siquidem tempore congruo placitum nostrum generale habere, & in eo de communi correctione agere, & ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum, sicut nostis, præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere,

Tom. I.

T t

& in eo de his quæ propter prædictum impedimentum remanserunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante considerare. Quapropter nosse volumus sollicitiam vestram quòd in isto præfenti placito cum fidelibus nostris consideravimus ut primò omnium Archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de sua quàm de omnium nostrum correctione & emendatione secundum divinam auctoritatem quaerendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundum ministerium sibi commissum annuntiarent. Quis enim non sentiat Deum nostris pravissimis actibus esse offensum & ad iracundiam provocatum, cum videat tot annis multifariis flagellis iram illius in regno nobis ab eo commisso defevire? videlicet in fame continua, in mortalitate animalium, in pestilentia hominum, in sterilitate penè omnium frugum, & ut ita dixerim, diversissimis morborum cladibus atque ingentibus penuriis populum istius regni miserabiliter vexatum & afflictum atque omni abundantia rerum quodam modo exinanitum. Nec illud etiam dubitamus ex justa vindicta illius evenire, quòd sæpe scandala per tyrannos in hoc regno exsurgunt, qui pacem populi Christiani & unitatem imperii sua pravitate nituntur scindere. Nam & illud nihilominus peccatis nostris deputandum est, quòd inimici Christi nominis præterito anno in hoc regnum ingressi depraedationes, incendia Ecclesiarum, & captivationes Christianorum, & interfectiones servorum Dei audenter & impune immo crudeliter fecerunt. Agitur siquidem iusto iudicio Dei ut quia in cunctis delinquimus, interiùs simul & exteriùs flagellemur. Beneficiis quippe Dei evidenter existimus ingrati, quoniam his non ad voluntatem Dei sed ad libitum nostrum carnalem uti invenimur. Et idcirco meritò creaturæ Dei nobis divinitus concessæ, pro Deo contra nos ingratos pugnant, juxta illud: *Pugnabis pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Verum quia tot modis vexamur atque percutimur, ad eum à quo percutimur toto corde dignum necessariumque est ut revertamur, quatenus illud propheticum in nobis impleatur quòd dicitur: *Sola vexatio intellectum dabit audienti.* Sed quia pius & clemens Dominus sic ipsum flagellum moderatur ut non ad intentum, sed potiùs ad correctionem

nostram inferre videatur, debemus in conspectu ejus veraciter humiliari & faciem illius in confessione prævenire, ejusque pietatem pronis mentibus exorare, ut qui fecit nos justissima dispensatione flagella sentire, faciat nobis peccata nostra, pro quibus justè ab eo flagellamur, cognoscere, & in quibus maximè illum offendimus, & iram illius provocavimus, manifestiùs intelligere, ut post eo miserante, prava deserendo & corrigendo, bona etiam sectando & tota cum devotione exsequendo, valeamus per spiritum humilitatis & animam contritam sacrificium Deo debitum offerre, iramque illius indignationis evadere & per dignam congruamque correctionem, & bonorum operum exhibitionem, gratiam ejus propitiationis, licet indigni, promereri. At quia nos magis in hoc peccasse cognoscimus, qui forma salutis omnibus esse debuimus, & omnium curam gerere, & per auctoritatem imperialem pravorum acta, ne tantum adcreverent, corrigere, cupimus, Domino nobis propitio, in conspectu pietatis illius per dignam satisfactionem veniam adipisci, & per saluberrimam correctionem, vel per bonum studium, quod nostra desidia & ignorantia hactenus neglectum est, consulti fidelium tempore opportuno, quantum in nobis est, studiosissimè emendare, & nostram in hoc voluntatem omnibus manifestam facere. Quapropter statuimus atque decrevimus cum consulti sacerdotum ceterorumque fidelium nostrorum, hujus rei gratia, ob placandum scilicet contra nos nobisque subjectos Domini furorem, conventus eorundem Episcoporum in quatuor imperii nostri locis congruentissimè fieri. Primò scilicet in Moguntiacensi urbe, ubi conveniant Archiepiscopi Autgarius, Hadabaldus, Hethi, Bernuinus, cum suffraganeis suis. Secundò quoque in Parisiorum urbe, ubi futurus antistes Senonicus, & Ebbo, Ragnoardus, & Landramnus cum suffraganeis suis conveniant. Tertio vero apud Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum suffraganeis suis similiter conveniant. Quarto etiam apud Tolosam urbem, quò simul conveniant Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Agulfus cum suffraganeis suis. In quibus conventibus tractare, quaerere, & cum Dei adjutorio invenire debent de causis ad religionem Christianam & eorum curam

Sap. 5.

Esa. 18.

pertinentibus, quid à principibus & reliquo populo vel ita ut divina auctoritas docet aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte vel ex toto dimissum sit ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum qui pastores populi constituti sunt moribus, conversatione, & actibus inveniri possit quod divina regulæ atque auctoritati non concordet; simulque inveniant quæ occasione in utroque ordine id effecerint ut à recto

tramite deviatum sit. Et quicquid de his causis inventum fuerit, tam solerti cura custodatur ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus constitutum. Et ideo unus Notarius inter omnes eligatur, qui quod ipsi invenerint describat, & ipse sub juramento constitutus ea quæ inventa & digesta fuerint diligenter fideliterque conservet.

CAPITVLARE VVORMATIENSE ANNI DCCCXXIX.

Hæc sunt capitula quæ propter interrogationem aliquorum Missorum considerata & scripta vel ordinata sunt, sive de ecclesiasticis causis, sive de ceteris quæ ad correctionem majorum hominum & quæ ad publicum honorem pertinent; quæ sub tribus distinctionibus ordinata sunt.

INCIPIVNT CAPITVLA.

1. **D**E his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis constituunt vel de Ecclesiis eiciunt.
2. De Ecclesiis inter coheredes divisis.
3. De Ecclesiis destructis.
4. De manso ad Ecclesiam dato.
5. De his qui nonis & decimis dare neglexerunt.
6. De eo qui decimam dare neglexerit Ecclesie cuius esse debet, alterique Ecclesie eam dederit.
7. De decimis à populo dandis.
8. De vestitura triginta annorum, sive de rebus Ecclesie quæ ab eadem Ecclesia per triginta annos possessæ sunt.
9. De his qui restauraciones Ecclesiarum facere negligunt.
10. De his qui agros dominicos excolere negligunt, ut nonas exinde non percipiant.

ITEM ALIA CAPITVLA.

1. **D**E eo qui beneficium desertum fecerit.
2. De malis scabinis eiciendis.
3. De melioribus & veracioribus eligendis.
4. De scabinis qui propter munera & amicitiam injustè judicant.
5. De legitimis & rationabilibus commutationibus Ecclesiarum Dei.
6. De eo qui probatus fuerit testes in perjurium scienter inducisse.
7. De discordantibus hominibus.
8. Ut nummos bonos nullus respuat.
9. De malis quæ à fiscalibus fiunt.
10. De collectis malis omnimodis prohibendis.
11. Ut pontes publici, qui destructi fuerint, iterum exstruantur.
12. De examine aquæ frigide.
13. De reversione Comitum & pagensium de hostili expeditione, ut ex eo die super quadraginta dies sit bannus ressusus.
14. De audientia Regis. Et ut Comites & Missi dominici maximam curam habeant pauperum.
15. De inferenda à Vicariis vel aliis Missis Comitum exigenda.



CAPITVLA QVÆ PRO LEGE HABENDA SVNT.

1. **D**E honore Ecclesiarum, de homicidiis in Ecclesiis vel in earum atris commissis.
2. De eo qui propter cupiditatem rerum quemcumque propinquorum suorum interfecerit.
3. De cuiuslibet propria uxore dimissa, vel sine culpa interfecta.
4. De eo qui res alienas cuiilibet homini vendiderit.
5. De placitis à liberis hominibus observandis.
6. De liberis hominibus ad testimonium recipiendis.
7. Ut inquiratur de iis qui in exercitalem ire possunt expeditionem, vel qui fidelitatem necdum promiserunt.
8. De fideis coercendis.

INCIPIVNT SVPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis constituunt vel de Ecclesiis eiciunt.

V. 98.
Add. I V.
25.

I. De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis eiciunt, & ab Episcopo vel à quolibet Misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum reuadiare cogantur, & per fidei iussores ad palatium nostrum venire jubeantur. Et tunc nos decernamus utrum nobis placeat ut aut illum bannum perfolvant, aut aliam harniscaram sustineant.

De Ecclesiis inter coheredes diuisis.

V. 59.
Add. I V.
26.

II. De Ecclesiis quæ inter coheredes diuise sunt, considerandum est quatenus si secundum providentiam & admonitionem Episcopi ipsi coheredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contraxerint, ut in Episcopi potestate maneat utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad beneficium nostrum Ecclesie pertinentes ita invente diuise fuerint, ut describantur, & nobis renuntietur.

De Ecclesiis destructis.

V. 275.

III. De Ecclesiis destructis, ut Episcopi & Missi inquisitionem faciant utrum per negligentiam aut impossibilitatem destructæ sint. Et ubi negligentia inventa fuerit, episcopali auctoritate emendare cogantur hi qui eas restaurare debuerant. Si verò per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint quam necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inueniat qualiter congruè emendari & consistere possint.

De manso ad Ecclesiam dato.

V. 100.
Add. I V.
98. 163.

IV. De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta

sibi seruitium exigunt, quicumque pro hac causa accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc quod inde subtractum est Presbyteris cum sua lege restituere faciant.

De his qui nonas & decimas dare neglexerunt.

V. De his qui nonas & decimas jam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per Missos nostros constringantur ut secundum Capitularem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & in super bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quòd quicumque hanc negligentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima perfolui debuit amissurum se sciat. Ita enim continetur in Capitulare bone memorie genitoris nostri in libro 1. cap. CLVII. Ut qui Ecclesiarum beneficia habent ut ad medietatem laborent, ut de eorum portione propria Presbytero decimas doneant. Item in Capitulare nostro in libro 11. cap. XXI. de eadem re: De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster & nos frequenter & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc obseruentur ordinavimus, volumus atque iubemus ut de omni conlaborato & de vino & de feno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De natrimine verò pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus obseruetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit.

De eo qui decimam dare neglexerit Ecclesia cuius esse debet, alterique Ecclesia eam dederit.

VI. Quicumque decimam abstrahit de Ecclesia ad quam per justitiam debet dari,

V. 176.
Add. I V.
100. 164.

& eam praesumptiosè vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à Misso nostro distringatur ut eisdem decima quantitate cum sua lege restituatur.

De decimis à populo dandis.

V. 101.
Add. IV.
101. 167.
VII. De decimis quæ dare populus non vult nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor fuerit inventus, & nec Episcopum nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad praesentiam nostram venire compellatur; ceteri verò distringantur ut vel inviti Ecclesiae restituant quæ voluntariè dare neglexerunt.

De vestitura triginta annorum, sive de rebus Ecclesiae quæ ab eadem Ecclesia per triginta annos possessæ sunt.

Add. IV.
171.
VIII. Ut de rebus Ecclesiarum quæ ab eis per triginta annorum spatium sine ulla interpellatione possessæ sunt testimonia non recipiantur, sed eo modo contineantur sicut res ad fîctum dominicum pertinentes contineri solent.

De his qui restauraciones Ecclesiarum facere negligunt.

V. 177.
Add. IV.
101. 168.
IX. Quicumque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restauraciones earum facere neglexerint, juxta Capitularem anteriorem, in quo de operibus ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur, id est, in libro IV. 40. IV. capitulo XXXVIII. *De opere & resti-*

ratione Ecclesiarum, considerandum est ut de frugibus terre & animalium nutrimento per solvantur. De opere verò & restauracione Ecclesiarum Comes & Episcopus sive Abbas unà cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant quantum rerum ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit ut pro opere faciundo argentum donent, juxta estimationem operis in argento persolvant, cum quo pretio restor Ecclesie ad predictam restauracionem operarios conducere & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primùm quidem illas cum lege sua restituat, insuper & hannum nostrum solvat; ut ita castigatus caveat ne saepius iterando beneficium amittat.

De his qui agros dominicos excolere negligunt ut nonas exinde non persolvant.

X. De illo qui agros dominicos propterea neglexit excolere ut nonas & decimas exinde non persolvat, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipit, volumus ut de tribus annis ipsam nonam & decimam cum sua lege persolvat. Et si quis contemptor aut Comitis aut Missorum nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad palatium venire compellatur.

V. 178.
Add. IV.
101. 169.

ITEM ALIA CAPITVLA.

De eo qui beneficium desertum fecerit.

I. DE beneficiis destructis hoc observetur quod in Capitulare priori continetur, id est, in libro IV. capitulo XXXVI. *Quicumque beneficium suum occasione proprii desertum habuerit, & intra annum, postquam ei à Comite vel à Misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsam beneficium amittat.*

De malis scabinis ejiciendis.

Add. IV.
101.
II. Ut Missi nostri ubicunque malos Scabineos inveniunt, eiciant, & totius populi consensu in loco eorum bonos eligant. Et cum electi fuerint, jurare faciant ut scienter injustè judicare non debeant.

De melioribus & veracioribus eligendis.

Rec. 106.
III. Ut in omni comitatu hi qui meliores & veraciores inveniri possunt eli-

gantur à Missis nostris ad inquisitiones faciendas & rei veritatem dicendam, & ut adjuutores Comitum sint ad justitias faciendas.

De scabinis qui propter munera & amicitiam injustè judicant.

IV. Volumus ut quicumque de Scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam injustè judicasse, ut per fidejussores missus ad praesentiam nostram veniat. De cetero omnibus Scabinis denuntietur ne quis deinceps etiam justum judicium vendere praesumat.

De legitimis & rationabilibus commutationibus Ecclesiarum Dei.

V. Vbicunque commutationes tam tempore nostro quamque genitoris nostri legitimæ & rationabiles atque utiles Ecclesie Dei factæ sunt permanceant. Vbi-

V. 110.
Add. IV.
108.

canque verò inutiles & incommoda atque inrationabiles factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque quod dedit. Vbi verò mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa quæ rationalis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur.

De eo qui probatus fuerit testes in perjurium scienter induxisse.

Add. IV.
109.

VI. Quicumque comprobatus fuerit de eo quod scienter testes in perjurium induxisset, sub fideiussione ad palatium nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de tali homine faciendum sit.

De discordantibus hominibus.

VII. De his qui discordis & contentionibus studere solent, & in pace vivere nolunt, & inde convicti fuerint, similiter volumus ut sub fideiussoribus ad nostrum placitum veniant, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de talibus faciendum sit.

Vt nummos bonos nullus respuat.

Add. IV.
110.

VIII. De bonis denariis quos populus recipere non vult volumus ut hoc observetur & teneatur quod in priori Capitulari nostro constitutum est, id est, in libro IV. capitulo XXX. *Quicumque liber homo vel in emptione vel in debiti solutione denarium merum & bene pensantem recipere nolaerit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat. Si verò servi ecclesiastici aut fiscalini nostri aut Comitum aut vassalorum nostrorum hoc facere presumpserint, sexaginta ictibus vapulent. Et si actores nostri aut aliorum vel advocati eos Missis nostris vel Comitibus iusti presentare nolaerint, prædictum bannum, id est, sexaginta solidos componant.* Et ad hanc constitutionem nostram adimplendam Episcopi & Abbates, sive reliqui qui beneficia nostra habent, adjuvent Comites in suis hominibus distringendis. Et si Comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per Missos nostros ad nostram notitiam perferatur.

De malis quæ à fiscalinis fiunt.

IX. De homicidiis vel aliis iniustitiis quæ à fiscalinis nostris fiunt, quia impune se ea committere posse existimant, nos actoribus nostris præcipiendum esse decernimus ne ultra impune fiant, ita ut ubicunque facta fuerint, solvere cum disciplina præcipiamus.

De collectis malis omnimodis prohibendis.

X. Collectæ ad maleficiendum fieri omnimodis prohibeantur. Et ubicunque huiusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam Comitis vel factæ sunt vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctor verò facti, si fuerit Præpositus, vel Advocatus, sive Centenarius, vel qualibet alia dignitate prædita libera persona, post legalem emendationem in loco factam sub fideiussoribus ad nostram præsentiam veniat. Multitudo verò, sive de servis sive de liberis sit, legitima emendatione mulctetur.

Vt pontes publici, qui destructi fuerint, iterum exstruantur.

XI. De pontibus publicis destructis placuit nobis ut hi qui iussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, volumus ac iubemus ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere cur nostram iussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerint ut hoc facerent, aut nobis nuntiare neglexerunt. Similiter & de iniustis teloneis, ubicunque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros.

De examine aque frigide.

XII. Ut examen aque frigide, quod hactenus faciebant, à Missis nostris omnibus interdicator ne ulterius fiat.

De reversione Comitis & pagensium de hostili expeditione, ut ex eo die super quadraginta dies sit bannus reversus.

XIII. Postquam Comes & pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die super quadraginta noctes sit bannus reversus, quod in lingua Theodisca scattlegi, id est, armorum depositio, vocatur.

De audientia Regis. Et ut Comites & Missi dominici maximam curam habeant pauperum.

XIV. Hoc Missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas & iudicandas sedere volumus. Comites autem & Missi nostri magnum studium habeant ne fortè propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare nisi de quibus aut Missi

nostri aut Comites eis iustitias facere noluerint.

De inferenda à Vicariis vel aliis Missis Comitum exigenda.

Ibid. 116. XV. Quicumque Vicarij vel alij ministri Comitum tributum quod inferenda vocatur, majoris pretij à populo exigere

presumpserit quàm à Missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est, duos solidos pro una vacca, hoc quod injustè superposuit atque abstulit sibi que retinuit, his quibus hoc tulit cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum componat, & ministerium nostrum amittat.

HÆC SVNT CAPITVLA QVÆ PRO LEGE
HABENDA SVNT.

De honore Ecclesiarum, de homicidiis in Ecclesiis vel in earum atrijs commissis.

I. **D**E homicidiis in Ecclesiis vel in atrijs earum commissis hoc observetur & teneatur quod in Capitulare priori constitutum est, id est, in libro IV. capitulo XIII. Si quis ex levi causa aut sine causa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & unus alterum in Ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, & si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis per sacramentum affirmet se defendendo eum interfecisse. Et si ipse auctor commotæ inter eos rixæ exstiterit, leudem interfecit & insuper bannum nostrum solvere cogatur, & publicam agat penitentiam. Si autem non ille qui alterum interfecit, sed is qui interfectus est, eandem rixam commovit, absque compositione jaceat; & is qui eum interfecit, secundum judicium canonicam publicam agat penitentiam. Si cujuslibet proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, publica penitentia mulctetur. Nisi forte & ipse auctor commotæ inter eos rixæ fuerit inventus, tunc dominus ejus, juxta quod vridrigildus illius est, ad Ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesie tradat. De ecclesiastico & fiscalino & beneficiario servo volumus ut pro una vice vridrigildus ejus pro eo componatur, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio Ecclesie, cujus porta reliquis sanctorum consecrata est, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur & componatur. Si verò porta Ecclesie non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur sicut componi debet quod in immunitate violata committitur.

De eo qui propter cupiditatem rerum quæcumque propinquorum suorum interfecerit.

II. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, vel nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas ejus interfecit ad alios suos legitimos heredes perveniat, interfectoris verò hereditas in flicum redigatur. Ipse verò ordinante Episcopo publicæ penitentiae subdatur. *Ibid.* 117.

De cujuslibet propria uxore dimissa, vel sine culpa interfecit.

III. Quicumque propria uxore derelicta, vel sine causa interfecit, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat penitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur. *V. 100. Add. IV. 118. 161.*

De eo qui res alienas cuilibet homini vendiderit.

IV. Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit sive vendiderit, & ipse qui tunc easdem res comparatas habet, per malum ingenium proprio filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti justitiæ tollendæ causa tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem pater ipse mortuus est, tunc legitimus ejus propinquus, qui justè ei tutor ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus justitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate quæ ei per successionem parentum suorum legitime venire debuit. Quod si quis hanc nostram iussionem contempserit vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is verò qui easdem res primus invasit, & injustè vendidit, necnon & emptores, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt infra patriam emendare cogantur, &

postea, sicut contemptores iussionis nostræ, sub fidei iuramentis ad nostram præsentiam venire compellantur.

De placitis à liberis hominibus observandis.

V. De Vicariis & Centenariis qui magis propter cupiditatem quam propter iustitiam faciendam sepiissime placita tenent, & exinde populum nimis affligunt, ita teneatur, sicut in Capitulare Domini Karoli Imperatoris continetur in libro III. capitulo XL. *Ut nullus ad placitum maneat nisi qui causam suam querit, aut si alter ei querere debet; exceptis scabineis septem, qui ad omnia placita esse debent.* Item de eadem re in Capitulare nostro in libro IV. capitulo LV. *De placitis siquidem que liberi homines observare debent constitutio genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est; ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observent, & nullus eos amplius placita observare compellat; nisi forte quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusaverit, aut ad testimonium perhibendam vocatus fuerit. Ad cetera verò que Centenarii tenent non alius venire jubeatur nisi qui aut litigat aut iudicat aut testificatur.* Et quicumque hujus constitutionis transgressor à Missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum perfolvat.

De liberis hominibus ad testimonium recipiendis.

V. 301. VI. De liberis hominibus qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ut propter res alterius ad testimonium non recipiantur. Conjuratores tamen aliorum liberorum hominum ideo esse possunt quia liberi sunt. Illi verò qui

& proprium habent, & tamen in terra dominica resident, propter hoc non abiciantur quia in terra dominica resident, sed propter hoc ad testimonium recipiantur quia proprium habent.

Ut inquiratur de iis qui in exercitalem ire possunt expeditionem, vel qui fidelitatem necdum promiserunt.

VII. Volumus atque jubemus ut Missi nostri diligenter inquirant quanti liberi homines in singulis comitatibus maneant. Hinc verò ea diligentia & hæc ratio examinatur per singulas centenas, ut veraciter sciant illos atque describant qui in exercitalem ire possunt expeditionem, ac deinde videlicet secundus ordo de his qui per se ire non possunt, ut duo tertio adiutorium præparent. Et qui necdum fidelitatem nobis promiserunt, cum sacramento nobis fidelitatem promittere faciant.

De fidei coërcendis.

VIII. De fidei coërcendis hoc observetur & teneatur quod in Capitulare nostro in libro IV. capitulo XXV. continetur. *Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commiserit, Comes in cuius ministerio res perpetrata est, & compositionem solvere & fidei per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est, aut ille qui homicidium commisit, aut is qui compositionem recipere debet, faciat illum qui ei contumax fuerit ad presentiam nostram venire, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exilio mutemus, donec ibi castigetur, ut Comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, & majus damnum inde non adcreseat.*

HÆC SVNT CAPITVLA QVÆ AD PLVRIMORVM
NOTITIAM AD GENERALIA PLACITA SVNT RESERVATA.

I. De Sacerdotibus à laicis vincis & flagellatis.

II. De homine qui ad servitium quaesitus & ereptus est ab uno herede, iterum ceteri heredes eum interpellare & adquirere conantur.

III. De Comitibus & Vicariis eorum, qui in aliquibus locis tantum accipiunt de conjectu populi ad maiorem legationem quantum ad majorem.

ITEM ALIA CAPITVLA.

I. Volumus ut talem conjectum Missi nostri accipiant, quando per missaticum suum perrexerint, hoc est, ut unusquisque accipiat panes quadraginta, friskingas duas, porcellum aut agnum unum, pullos quatuor, ova viginti, de vino sextarios novem, de cervisa modios duos, de annona modios duos. Et quando propè

sunt de illorum domibus, nullum accipiant conjectum.

II. Volumus etiam ut octabas Pasche incipiant suam agere legationem. Episcopi verò suum habere debent conventum octabas Pentecosten.

III. Volumus atque jubemus ut Missi nostri diligenter inquirant quanti liberi homines

homines in singulis comitatibus maneant qui possint expeditionem exercitalem facere, nobisque per brevem eorum summam deferant. Et qui nondum fidelitatem promiserunt, cum sacramento nobis fidelitatem promittere faciant.

IV. Volumus ut Missi nostri per totam legationem suam primò omnium inquirent qui sint de liberis hominibus qui fidelitatem nobis nondum promissam habent, & faciant illos eam promittere, sicut consuetudo semper fuit, & postea incipiant legationem suam per cetera capitula peragere.

V. Volumus ut omnes res ecclesiasticæ eo modo contineantur sicut res ad fiscum nostrum pertinentes contineri solent, usque dum nos ad generale placitum nostrum cum fidelibus nostris invenerimus

& constituerimus qualiter in futurum de his fieri debeat.

VI. Volumus un omnis inquisitio, quæ de rebus ad jus fisci nostri pertinentibus facienda est, non per testes qui producti fuerint, sed per illos qui in eo comitatu meliores & veraciores esse cognoscuntur, per illorum testimonium inquisitio fiat, & juxta quod illi testificati fuerint, vel contineantur, vel reddantur.

VII. Item volumus ut de rebus quas Matfredus per diversa loca & per diversos homines adquisivit, ipsi qui easdem res ei dederunt interrogentur si aliquis eorum eas repetere velit. Et quicumque hoc se velle pronuntiaverit, ad generale placitum nostrum venire jubeatur, ut inde cum eodem Matfredo rationem habere possit.

Sequentia tria capitula, quæ sumpta sunt ex libro legum Burgundicarum & ex Codice Theodosiano, descripta reperiuntur in codicibus Palatino & sancti Vincentij Metensis statim post superiora Ludovici Pij capitula. Regino verò Abbas Prumiensis ea refert ex Capitularibus ejusdem Ludovici. Ob eam causam nos illa hec omnia nolimus, tum etiam quia multa illic diversa sunt à vulgatis editionibus illarum legum.

De inscriptione temporum.

Lex Burgundion. tit. 79.

I. **L**icet jam pridem à nobis fuerit ordinatum ut si quis in populo nostro barbaræ nationis persona aut in re sua consisteret aut alium invitasset, aut si terram ad habitandum voluntarius deputasset, eamque per annos quindecim sine tertis habuisset, in voluntate ipsius permaneret, neque exinde quicquam sibi ille qui dederat sciret esse reddendum, tamen ut absque ulla permutatione omni tempore generaliter memorata conditio debeat custodiri, præsentis placuit lege constitui.

Item de inscriptione temporum.

Regino lib. 1. c. 20. 21.

II. Si quis verò terram ab altero sibi traditam violenter dixerit & convicerit fuisse sublatam prius quàm triginta annorum terminus compleatur, & rem constituerit occupatam, & requirere poterit, & repetentis partibus reformare. Ceterum si impletis triginta annis terra, à quocunque etiam pervasa fuisse dicatur, non fuerit restituta, nihil sibi reddendum esse cognoscat. Quapropter omnes Comites, quoties de privatis causis contentio fuerit generata, secundum ordinem legis istius judicare curabunt. Et quia omnia ad quie-

tem omnium pertinentia ex lege conveniri provideri, quas omnino causas de quibuscunque rebus quæ intra triginta annos non fuerint diffinitæ, nullo eas postmodum licebit ordine commoveri: quia satis unicuique ad requirendum & recipiendum quod ei debitum fuerit superscriptis annorum numerus constat posse sufficere.

De inquilinis & colonis.

III. Si quis colonum alienum in re sua triginta annos habuerit, ac si suum vendiderit. Qui si infra triginta annos inventus fuerit, à domino cum filiis sibi debitis & omni peculio revocetur. Si verò mortuus fuerit, peculium ejus dominus revocet. Colona verò si viginti annis in alieno dominio permanserit, à priore domino non requiratur. Colono duæ partes agnationis sequantur, colonæ verò tertia pars sequatur. Nam si agnatio infra viginti annos edita fuerit, quando adhuc colona domino competebat, repetentibus non negetur, quia in novellis legibus est constitutum. Sanè ne separatio conjugij fiat, præcipimus ut à domino coloni vicariæ mulieri cum agnatione partis tertiæ non negetur.

Interpretatio leg. un. Cod. Theod. de inquilinis & colonis. Regino lib. 1. c. 22.



Præceptum de ordine monastico restituto in monasterio
sancti Dionysij.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludouicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Divinis præceptis & apostolicis monitis incitatur, sed & imperatorij regiminis officio commonemur, ut pro Ecclesie statu atque sanctæ religionis augmento impigro semper vigilemus affectu, ac perneccessario seu fructuoso studiosoque laboremus effectu, & si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, regie auctoritatis sollicitudine corrigamus: quatinus avia revocantes, superflua amputantes, collapsa quoque reparemus, atque reparata & ab ecclesiasticis viris Apostolorumque Domini successoribus Spiritu sancto regente bene statuta, edictis imperialibus confirmemus. Quia dignum profectò est ut quod sacerdotalis dignitas divino illuminata spiritu corpori Christi, quod est Ecclesia ejusdem Dei ac Domini & Salvatoris nostri redempta sanguine, adinvenit in salute, vel reformata statuit in religionis augmento, id imperialis majestas inviolabiliter permanfurum in perpetuum potestatis suæ studeat roborare præcepto. Quoniam quicquid in hujusmodi negotiis laboratum, seu pio cultui à nobis fuerit dedicatum, hoc proculdubio nostræ mansuetudinis regno & populo regendo credimus specialius profuturum. Ideirco notum esse volumus omnibus fidelibus præsentibus scilicet & futuris quia postquam Deo auspice imperium paternum suscepimus, studij nobis maxime semper fuit ut Domini Ecclesia, ejus magnificentia humilitati nostræ divinitus regenda tuendaque commissa, felicibus poleret successibus, eamque, quantum nostræ attinet augustæ devotioni, incessanter ad meliora provehere, & ab illa quicquid noxium erat eradicare, atque in ea incrementa virtutum plantare. Quapropter sapissime sacerdotes Domini, quorum id officij esse noveramus, admonere curavimus, ac nostram principalem auctoritatem adjutricem ad eorum ministerium juxta voluntatem Dei exequendum promptè exhibuimus, ut quicquid in ordinibus ecclesiasticis vel in quacunque persona emendatione dignum invenirent, pasto-

rali auctoritate, postposita qualibet torporis negligentia vel personarum acceptione, incunctantur corrigere & ad statum rectitudinis perducere decertarent. Verùm cum ipsi, nostra sedulo exhortatione admoniti, suæque solliciti vigilantia, de statu & profectu sanctæ Ecclesie & factis ordinibus & iis quæ emendatione digna videbantur, conventu apud Parisius jussione nostra habito, strenua & devota perpicacitate tractarent, inter cetera visum illis est ut monasterium præclarissimi & eximij Christi martyris beati Dionysij sociorumque ejus, quod constat tantorum martyrum nomine Deo dedicatum, & à Regibus Francorum progenitoribusque gloriæ nostræ amplissimis rebus ditatum, quò in eo monasticus ordo religiosè Deo deserviret, magna emendatione & correctione opus haberet, quoniam ab eo idem ordo ad multorum discrimen, nulla necessitate præpediente, nullius rei inopia obfistente, penitus erat avulsus. Quam causam tam per se quamque & per venerabilem prudentemque virum Hilduinum memorati monasterij religiosum Abbatem nostræ serenitatis auribus intimaverunt, uti nostræ piissima imperiali potestate per eorum auctoritatem corrigeretur. Unde dignitas imperij nostri tantorum virorum saluberrimam admonitionem & ejusdem venerabilis Abbatis Hilduini preces humillimas more tranquillitatis nostræ solito gratanter benignèque suscipiens, atque in omnibus emendabile judicans, ne tanti ordinis collapsio salutis nostræ quoquomodo fieret damnatio, ad eosdem Præsules Ecclesiarum idem censuimus referre negotium: ut nostri principatus auctoritate, eorumque judicio, quibus tanta est collata potestas à Domino, idem ordo in eodem loco absque retractatione restitueretur. Veniens ergo Aldricus Metropolita Senonicus cum suffraganeis suis, necnon & Ebbo Metropolita Durocortorum cum suis suffraganeis, ad memoratum monasterium, habito conventu, primum quòd idem monasterium ordini monastico constructum, dedicatum, & rebus ditatum fuit, & in eo ipse ordo usque ad tempus quo scepra imperialia superna lar-

giente gratia clementia nostra suscepit, & supra memorati Hilduini Abbatis prelationem, ibidem utcumque vigerit, manifestis iudiciis Regumque antiquis & modernis præceptis, & Episcoporum privilegiis, ac fidelium donationibus, palam cunctis est factum. Deinde diligentem inquisitionem fecerunt super iis qui in eodem loco regularem promissionem fecerant, ex quibus quidam qui eandem professionem fecerant, desertores ejusdem propositi effecti, rebus humanis jam erant exempti, quorum perditio non sine magno animi fieri potest mœrore. Quidam etiam non eandem professionem se fecisse mentiti sunt, sed testibus patentibus convicti, pro sua contumacia canonica poenitentia sunt subacti. Quidam verò, immo maxima pars, qui hæcenus in apostasiam prolapsi fuerant, coram venientes, soloque se prosternentes, confessi sunt eandem professionem in eodem loco regulariter se promississe, sui que misereri, & à Domino veniam pro tanto admisso dari humiliter flagitare. Qua confessione facta, cucullis sui propositi coram cœtu Episcoporum & ceterorum sacerdotum cunctique sequentis ordinis cleri nobilitumque virorum non modica circumassistente turba se induerunt, atque in commune, ne aliquando, sicuti sibi aliisque jam in eodem loco contigerat, sanctæ professionis proposito diabolico propularentur instinctu, regularem promissionem iteraverunt. Pars denique quedam eorum, illi scilicet qui divinæ inspirationis munere acti & amore deinceps in sanctæ religionis proposito adprime absque ulla refragatione vel interpolatione elegerunt viriliter permanere, & in cella ejusdem majoris monasterij, postquam ceteri monasticam vitam & habitum deseruerunt, usque ad hanc nostræ demandationis habitum synodum degere, ante jam memoratos venerabiles patres venerunt, locumque pristinum, in quo promissionem fecerant, & regulariter licet minus perfectè vixerant, sibi & se petierunt loco restitui. Quorum semotio ob id acciderat quoniam, ut prædiximus, mox ut divina dignatio nos paterna sede suscepta imperialibus sceptris inniti voluit, piæ intentionis nostræ sollicitudo exequi procuravit ut religio, decor, & omnis honestas à Domino & genitore nostro divæ memoriæ Karolo cæpta & instituta liquidò & veraciter, remota omni

Tom. I.

simulatione, in propriis quibusque maneret & vigeret ordinibus. Vnde ad monasticæ institutionis normam corrigendam duos religiosos & venerabilis vitæ viros Benedicum & Arnulfum Abbates constituimus, qui per nostrum à Deo gubernandum & conservandum imperium sæculi huic negotio studiosè insisterent. Iidem verò boni & devoti sed simplicissimi patres, supradictorum fratrum calliditate & duritia suæ simplicitate abducti, non studio, sed minus subtili & necessaria investigatione seu providentia fallentes, eos qui in soliditate suæ professionis salutis perduraverunt à monasterio removerunt, atque in memorata cella collocaverunt, & illos qui propria voluntatis libitus non virtute sed verbera quaesierunt, ac collo de sub jugo regulæ excusso, loro dilagationis vitæ soluti, ampliori itinere cælestem patriam petere sunt conati, in domiciliis reverendi habitus & vitæ monasticæ reliquerunt. Sed laudabilius hi patres Ecclesiæ auctoritate sua dignæ petitioni fratrum, quos in suæ religionis virtute diximus permanisse, quia sic nostri assensus jussio fuerat, annuentes rationabiliter & canonicè satisfacerunt. Et ob suggestionis notitiam, ut nostræ panderetur celsitudini, qualiter vel quo ordine tam devotissimum factum ab iisdem religiosissimis viris sit celebratum, duas super hoc inde pari tenore descriptiones fecerunt, easque manibus firmaverunt propriis, ut altera earum in archivo ipsius monasterij ob memoriam & stabilitatem inibi hujus ordinis per futura tempora servaretur, alteram nostræ magnitudini direxerunt, ut illam palatinis scriiniis juberemus recondi, ob monumentum videlicet & istius rectè facti perpetuam firmitatem. Sed cum idem ordo, Deo annuente, quantum divinitus videri datur, in eodem loco feliciter incederet, antiquus salutis humanæ inimicus quosdam ex ipsis fratribus sua organa efficiens, adeo insidiarum suarum furis exagitavit ut conspiratione & conjuratione facta & propositum monasticum abnegarent, & sine licentia sui Abbatis, eorum legati dignitatis nostræ dominationem adirent, & molestiam super hac ratione contra canonicam & propositi sui institutionem, serenitatis nostræ auribus inferre præsumerent, offerentes nobis tomum in accusationem & blasphemiam Episcoporum qui se de apostasia, in qua versabantur,

Vu ij

paterna sollicitudine nostra auctoritate correxerant, & ad propositum quod abdicaverant redire suaserant. addentes etiam in eadem scheda alia quae digna non sunt imperialibus nostris scriptis interferi. Porro nostra sollicitudo, auditis eorum querimoniis, supra memorato venerabili viro Hilduino nostra iussit clementia ut eodem Episcopos, contra quos querebantur, necnon & alios ab accusatione immunes, iussione nostra ad ipsum venire mandaret monasterium. Et quia ad nostram notitiam ipsi fratres suos misere clamores, unde nihil ambiguum & sine iustae definitionis decreto fas est abscedere, complurium Episcoporum diligenti examine rem revertitari & canonicè definiti & consopiri praecipimus; non quasi de praefata memoratorum patrum sententia, quae excellentia nostrae bene per omnia manebat cognita, vel in aliquo haesitantes; sed ut major Domino Deo nostro de proculcato hoste, qui iam dictos excitaverat fratres, triumphus fieret, & in eodem loco firmiori, quia iterata, stipulatione idem ordo confirmaretur. Et quoniam super pastores Ecclesiae dignitati nostrae imperiali quaecumque ingerebatur accusatio, non sine certo & rationabili oblitteraretur iudicio, qui ad conditum tempus & diem ad praescriptum venire monasterium, & ipsis accusatoribus, cum scripto quod clementiae nostrae obtulerant, coram exhibitis, cuncta quae in eorum accusatione dixerant vel scripserant falsa esse veris assertionibus idoneisque prolatis testibus probaverunt, sicut ex ordine in scripto manifestatur quod ex hac causa & secunda constitutionis nostrae synodo archivo nostri palatii, cum chartulis quae nomina testium continent qui utrisque conventibus interfuerunt, directum ob gestorum memoriam conservatur. unde aliud etiam ab ipsius monasterii scriniis retinetur. Ipsi de cetero fratres, respectu divino processu temporis corda illorum tangente, propositi sui strenui & praeteritarum negligentiarum poenitentiae devoti executores effecti, consensu salubri atque prudenti tres chartulas conscripserunt; ut una earum ad caput gloriosissimorum Christi martyrum fieret, altera regiae dominationis nostrae custodia servari demandaretur, tertiam verò ipsius monasterii Abbas haberet; in quibus se à beato patre Benedicto Spiritu sancto docente descriptam regulam sunt servare velle professi; & uniusquisque eorum no-

men proprium cum gradu & monachi appellatione eisdem chartis subterfirmavit. Quarum unam benignitatis nostrae praesentiae exhibuerunt, humiliter postulantes, sicut & saepe memorati venerabiles patres, à quibus synodales definitiones celebratae sunt, auctoritatem nostram sedulo petierunt, quatenus hoc quod tam subtili & diligenti investigatione inventum, & iusta ratione definitum, seu salubri restitutione reparatum, atque canonica auctoritate statutum esse dinoscitur, amplitudinis nostrae privilegio scriptis imperialibus confirmaremus; ut quod canonica docet auctoritas, & vota Regum cunctorumque fidelium, qui ipsum locum propter monasticum ordinem ibi servandum rebus suis ditaverunt, demonstrent, cum nequaquam ab eo sine periculo & Regis & regni possit avelli, nostra imperialis potestas confirmatione provideat ne ex eodem loco modernis futurisque temporibus idem ordo destituatur; sed potius Christo Domino largiente ad cumulum mercedis nostrae, conjugis quoque, & prolis, eorumque salutem quorum post tantum lapsum reparatio facta est, necnon & eorum per quos Deo annuente nostra auctoritate eadem reparatio celebrata est; simul & illorum informationem qui post ad monasticum ordinem Domino inspirante ad eundem confluerint locum, remota omni simulatione semper in eodem monasterio regularis ordo permaneat, floreat, & felicibus successibus Deo opem ferente polleat. Et ut haec auctoritas, quam ob Dei amorem & animae nostrae, conjugis, & prolis, ut praediximus, salutem, atque imperii nostri statum constituimus, firmiter obtineat vigorem, & deinceps inviolata valeat perdurare, duas inde pari tenore conscriptas firmationes fieri iussimus, ut una imperialis aulae reconditorio palatinis salvetur excubiis, altera ab ipsius monasterii custodibus in perpetuum diligenti cura debeat provideri; easque manus nostrae subscriptione subter firmavimus & anulo nostro sigillari iussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Theodonis recognovit.

Data VII. Kalendas Septembris anno Christo propitio XIX. imperii Domini Hludovici serenissimi Imperatoris, Indict. X.

Actum in monasterio sancti Dionysij in Dei nomine feliciter. Amen.

Præceptum de paganis ad Christianitatem invitandis,
& de institutione episcopatus Hammaburgensis.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludouicus divina propitiante clementia Imperator Augustus. Si specialibus cujusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis subveniendum esse imperialis auctoritas monstrat, quanto magis ad debitam generalitatis providentiam æquum dignumque pertinet ut Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eamque nobis regendam tuendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oportet gerere curam, & ut in ejus provectu vel exaltatione congruam exhibeamus diligentiam, novis ad ejus necessitatem vel utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus nova immo necessaria & utilia provideamus constituta. Idcirco sanctæ Dei Ecclesiæ filiis presentibus scilicet & futuris certum esse volumus qualiter divina ordinante gratia nostris in diebus, aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum sive Sueonum, magnum caelestis gratia prædicationis sive acquisitionis patefecit ostium, ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversâ mysteria caelestia ecclesiasticæque subsidia desiderabiliter expeteret. Vnde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes extollimus, qui nostris temporibus & studiis sanctam Ecclesiam, sponfam videlicet suam, in locis ignotis finit dilatari atque proficere. Quamobrem unâ cum sacerdotibus ceterisque imperij nostri fidelibus hanc Deo dignam cernentes causam valde necessariam atque futuræ Ecclesiæ dignitati proficuum, dignum duximus ut locum aptum nostris in finibus evidentius eligeremus, ubi sedem episcopalem per hoc nostræ auctoritatis præceptum statueremus, unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum facilius uberiusque capere valerent, & fidentes salutis gratiam præ manibus vel oculis haberent, insuper & magnorum progenitorum nostrorum sacra lucrandi studia nostris in diebus nunquam deficerent. Genitor etenim noster gloriose memoræ Karolus omnem Saxoniam ecclesiasticæ religioni subdidit, jugumque Christi ad usque terminos Danorum atque

Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit, ubi inter has utraque gentes, Danorum videlicet sive Winedorum, ultimam Saxonie partem sitam, & diversis periculis, temporalibus videlicet & spiritualibus, interiacentem prospiciens, pontificalem ibidem sedem fieri decrevit trans Albiam. Vnde postquam terram Nordalbingorum laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipsis Christianitatis initis patratam per septennium passi sunt, ne locus ille à barbaris invaderetur, Ekeberto Comiti restituere præceperat, non jam vicinis Episcopis locum illum committere voluit, sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps parrochiam vindicaret, ex remotis Gallie partibus quandam Episcopum Amalarium nomine direxit, qui primitivam Ecclesiam ibidem consecraret. Sed & eidem Ecclesiæ sacras reliquias ac plura ecclesiastica munera pia largitate specialiter destinare curavit. Postmodum verò captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eandem parrochiam cuidam presbytero Heridæ nomine specialiter commendavit, quem universæ Nordalbingorum Ecclesiæ, ne ad ritum relaberentur gentium, vel quia lucrandis adhuc gentibus locus ille videbatur aptissimus, disposuerat consecrari Archiepiscopum, ut ipsi occasione vel auctoritate summa in ipsis terminis gentium sedulitate prædicandi sancta multiplicaretur Ecclesia, dum vicinorum ipsius novitatis Episcoporum multa latitudinis cura non sufficiebat discurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero quandam cellam Hrodnae vocatam, quatinus eidem loco undique periculis circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem jam dicti viri velox ex hac luce transitus pij genitoris nostri in diebus ejus fieri prohibuit, ego autem, quem divina clementia in sedem regni ejus asceverat, cum in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædicti patris mei studium, velut regni in finibus peractum, minus cautè adtenderem, suadentibus quibusdam jam dictam cellam ad Indam monasterium contuli, prædictam verò parrochiam vicinis Episcopis interim

commendavi. Nunc autem tam propter suprascripta ecclesiastica lucra in gentibus demonstrata, quam & propter votum pij genitoris nostri, ne quid ejus studij imperfectum remaneat, statumus, unâ cum consensu ecclesiastico, præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam, in loco nuncupato Hammaburg, cum universa Nordalbingorum provincia Ecclesie proprij vigoris constituere sedem, cui & primum præesse atque solemniter consecrari per manus Drogonis Metensis & summæ sanctæ palatinæ dignitatis Præfulis Ansgarium fecimus Archiepiscopum, adstantibus Archiepiscopis Ebbone Remensi, Hetti Treverensi, & Orgaro Mogontiacensi, cum plurimis aliis generali in conventu totius imperij nostri Præfulibus congregatis, assistentibus quoque specialiter & consentientibus atque consecrantibus Helingando sive Willerico Episcopis, à quibus jam dictæ parrochiæ partes à nobis sibi olim commendatas recepimus. Cui videlicet Ansgario, quia præfatis in gentibus hæc nostris in diebus dignissima in convocazione gentium vel redemptione captivorum monstrata sunt lucra, tam nostræ quam sanctæ Romanæ Ecclesie auctoritate hanc Deo dignam in præfatis gentibus commisimus legationem, ac proprij vigoris ascribere decrevimus dignitatem. Et quia casus præteritorum cautos nos facit in futurum, ne quisquam Episcoporum aliquam sibi trans Albiam vel alicubi in prædicta parrochia vindicet potestatem, certo limite circumscriptum esse volumus, videlicet ab Albia flumine deorsum usque ad mare oceanum, & rursus per omnem Slavorum provinciam usque ad mare quod orientale vocant, & per omnes prædictas nationes Septentrionis. Omnes quoque paludes infra sive juxta Albiam positas, cultas & incultas, infra terminos ejusdem parrochiæ ponimus, ut Transalbiani se & sua ab incurfu paganorum, qui sæpe timendus est, securius in his locis occultare queant. Et ut hæc nova constructio periculosis in his locis cepta subsistere valeat, quandam cellam Turholt vocatam tam huic novæ constructioni, quam Archiepiscopi successorumque

suorum in gentibus legationi perenniter servitutam ad nostram nostraque sobolis perpetuam mercedem divinæ offerimus majestati. Homines quoque qui ejusdem cellæ beneficia habere videntur, ab omni expeditione vel militia sive qualibet occupatione absolvimus, ut idem venerabilis Episcopus ad hanc Deo dignam peragendam in provisio temporibus legationem nullum in hoc patiatur impedimentum. Dona verò quæ ex eadem cella nostris partibus dare solebant, & nobis quoque successoribusque nostris similiter dari volumus, his exceptis majus minisve in convocazione paganorum vel redemptione captivorum, sive ejusdem sedis supplemento multimodis periculis circumdata, vel ibidem Deo militantium solatio, ob amorem Dei & beati Sixti confessoris ejus perpetuo delegamus. Res itaque præfate sedis & jam dicti monasterij sub plenissima defensione & immunitatis tuitione volumus ut consistant ac tueantur, ita ut nullus judex publicus aut alia qualibet potestate publica prædita persona de eorum rebus freda, tributa, mansionaticos, vel paratas, aut teloneum, vel fidejussores tollere, aut homines ipsorum tam litos quam & ingenuos super terram eorum manentes distringere, nec ulla publicas functiones aut redibitiones vel illicitas occasionem requirere vel exigere præsumat. Sed liceat prædicto venerabili Episcopo suisque successoribus ac omni clero sub eorundem regimine constituto quietè in Dei servitio degere & pro nobis proleque nostra atque statu totius imperij divinam misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signare jussimus.

Signum Hlodeuvici piissimi Imperatoris.
Hirminmarus Notarius ad vicem Theodonis recognovit.

Data Idus Maij anno Christo propitio xxxi. imperij Domni Hlodeuvici piissimi Augusti, Indictione duodecima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.



CHARTA DIVISIONIS IMPERII

Inter Pippinum, Ludovicum, & Karolum filios Imperatoris, data anno Christi DCCCXXXVII. Aquisgrani in generali populi conventu.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & cuncto catholico populo præfenti scilicet & futuro gentium ac nationum quæ sub imperio ac regimine nostro constitutæ sunt. Notum fieri volumus omnium vestrum solertia quòd inter dilectos filios nostros Pippinum, Hludovicum, Karolum, regni nobis à Deo commissi talem divisionem facere decrevimus ut post nostrum ab hac mortalitate decessum unusquisque illorum scire valeat, si eos divina pietas nobis superstites esse voluerit, quæ portio sibi ad tendendum atque gubernandum à nobis adsignata sit. Quam divisionem eo modo describere ac designare volumus, ut singuli juxta ordinationem nostram & fines regni sui, qui in alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio defendere statuunt ac studeant, & pacem ac fraternam caritatem inter se custodire valeant. Cujus divisionis modum atque ordinationem talem nobis facere placuit.

CAP. I.

HÆc autem tali ordinatione dispositum, ut si post nostrum ab hac luce discessum aliquis eorum priusquam fratres sui diem obierit, & talem filium reliquerit quem populus ipse eligere voluerit ut patri suo succedat in regni hereditate, volumus ut hoc consentiant patri ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in eo regno quod pater ejus frater eorum habuit. Quòd si talem filium non habuerit, tunc volumus ut illa pars regni quam idem habebat, dividatur æqualiter inter illos fratres qui superstites remanserint.

II.

Placuit etiam inter prædictos filios statuere atque præcipere, propter pacem & concordiam quam inter eos perpetuò permanere desideramus, ut nullus eorum fratris sui terminos vel regni limites invadere præsumat, neque fraudulentè ingredi ad conturbandum regnum ejus vel marchas minuendas, sed potius adjuvet unusquisque illorum fratrem suum, prout temporis oportunitas permiserit, & auxi-

lium ei ferat contra inimicos ejus juxta rationem & possibilitatem.

III.

Nec aliquis ullum hominum fratris sui pro quibuslibet causis vel culpis ad se confugientem suscipiat ad intercessionem pro eo faciendam: quia volumus ut quilibet homo peccans & intercessione indigens intra regnum domini sui vel ad loca sancta vel ad honoratos homines confugiat, & inde justam intercessionem mereatur.

IV.

Similiter præcipimus ut quemlibet illum qui dominum suum contra voluntatem ejus dimiserit, & de uno regno in aliud profectus fuerit, neque ipse Rex suscipiat, neque hominibus suis consentiat ut talem hominem recipiant vel injustè retinere præsumant. Nec solum de illis, sed etiam de servis fugitivis statui-mus observandum, ut nulla discordia relinquatur occasio. Sed & hoc præcipimus, ut nullus ex his tribus fratribus, nobis in corpore consistentibus, vel nostrum vel cujuslibet alterius hominem sacramentum fidelitatis sibi promittere faciat, & per hoc eum vel à nobis vel ab altero

domino suo per huiusmodi sacramentum avertat & ad se adtrahat.

V.

Quin etiam precipiendum nobis videtur ut post nostrum ex hac mortalitate discessum homines uniuscujusque eorum accipiant beneficia, unusquisque in regno domini sui, & non alterius, ne quando per hoc, si aliter fuerit, scandalum aliquod possit accidere. Hereditatem autem suam habeat unusquisque hominum illorum absque contradictione, in quocumque regno hoc cum legitime habere cognoverit.

VI.

Et unusquisque liber homo post mortem domini sui licentiam habeat se commendandi inter hæc tria regna ad quemcumque voluerit. Similiter & ille qui nondum alicui commendatus est.

VII.

De traditionibus autem atque venditionibus quæ inter partes fieri solent precipimus ut nullus ex his tribus fratribus suscipiat de regno alterius a quolibet homine traditionem vel venditionem rei immobilis, hoc est, terrarum, vinearum, atque silvarum, servorumque qui jam calati sunt, sive ceterarum rerum quæ hereditatis nomine censentur, excepto auro, argento, & gemmis, armis ac vestibus, necnon & mancipiis non calatis, & iis speciebus quæ proprie ad negotiatores pertinere noscuntur. Ceteris vero illis hominibus hoc minimè interdicendum iudicamus.

VIII.

Si autem femina, sicut fieri solet, inter partes & regna legitime fuerint ad conjugium postulate, non denegentur iuste postcentibus, sed liceat eas vicissim dare & accipere, & adfinitatibus populos inter se sociare. Ipsæ verò femina potestatem habeant rerum suarum in regno unde exierint, quamquam in alio propter mariti societatem habitare debeant.

IX.

De obsidibus autem qui propter credentias dati sunt, & a nobis per diversa loca ad custodiendum destinati sunt, nolimus ut ille Rex in cuius regno sunt, absque voluntate fratris sui, de cuius regno sublati sunt, ad patriam eos redire permittat, sed potius in futuro in suscipiendis obsidibus alter alteri mutuum ferat auxilium, si frater fratrem hoc facere rationabiliter postulaverit. Idem iube-

mus & de iis qui ob sua facinora in exilium missi vel mittendi sunt.

X.

Si causa vel intentio & controversa talis inter partes propter terminos aut confinia regnorum orta fuerit quæ hominum testimonio declarari vel definiti non possit, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiæ vexillo crucis Dei voluntas & rerum veritas ut inquiratur, ne unquam pro tali causa cujuslibet generis pugna vel campus ad exterminationem iudicetur. Si verò quilibet homo de uno regno hominem de altero regno de infidelitate contra fratrem domini sui apud dominum suum accusaverit, mittat eum dominus ejus ad fratrem suum, ut ibi comprobet quod de homine illius dixit.

XI.

Super omnia autem jubemus atque precipimus ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam a proavo nostro Karolo & avo nostro Pippino & beata memoria genitore nostro Karolo Imperatore & a nobis postea suscepta est, ut eam cum Dei adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam, quantum ad ipsos pertinet & ratio postulaverit, habere faciant. Similiter de ceteris Ecclesiis quæ sub illorum fuerint potestate precipimus ut iustitiam suam & honorem habeant, & pastores atque rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocumque de his tribus fratribus illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.

XII.

Quòd si de his statutis atque convenientiis aliquid casu quolibet vel ignorantia, quod non optamus, inruptum fuerit, precipimus ut quam citissimè secundum iustitiam emendare studeant, ne quando propter dilationem majus damnum possit adcrefcere.

XIII.

Hæc autem omnia ita disposuimus atque eo ordine adfirmare decrevimus ut quandiu divinæ majestati placuerit hæc corporalem nos agere vitam, potestas nostra sit super a Deo conservatum regnum atque imperium istud, sicut hæcenus fuit, in regimine atque ordinatione & omni dominatione regali & imperiali, & ut obediētes habeamus prædictos filios nostros atque Deo amabilem populum nostrum cum omni subiectione quæ patri a filiis & Imperatori

Imperatori ac Regi à suis populis exhibetur. Et si aliquis ex his tribus filiis nostris per majorem obedientiam ac bonam voluntatem in primis Deo omnipotenti ac postea nobis placere cupiens, morum probitate promeruerit ut ei majorem honorem ac potestatem conferre delectet, & hoc volumus ut in nostra maneat potestate ut illi de portione fratris sui qui non placere curaverit & regnum & honorem ac potestatem augeamus, & illum talem efficiamus qualiter ille propriis meritis dignus ostenderit.

XIV.

Hoc postremò statuendum nobis videtur, ut quicquid adhuc de rebus & conventionibus quæ ad profectum & utilitatem eorum pertineant his nostris decretis atque præceptis addiderimus, volumus sic à prædictis dilectis filiis nostris observetur

atque custodiatur sicut ea quæ in his jam statuta atque descripta sunt custodire & conservare præcipimus.

Ad Aquitaniam totam inter Ligerim & Sequanam & ultra Sequanam pagis XXVI II. id est, Catalonis, Meltianum, Ambienfis, & Pontivus usque ad mare.

Ad Bajuvariam Toringiam totam, Ripuarios, Atrarios, Saxoniam, Frisiam, Ardena, Hasbania, Bragmento, Flanderes, Mempiscon, Metunenti, Amau, Austerban, Adertenfis, Tervuanenfis, Bolenfis, Quentovico, Camalecénfis, Virdomadénfis.

Ad Alamaniam totam Burgundiam, excepto quod Pippino datum est, totam Provinciam, & totam Gotiam, & de ista media Francia Warenfis, Vngénfis, Castrenfis, Potiano, Remegenfis, Laudunenfis, Mosellis, Treveris. ****

Heic vetustissima membrana deficit.

CAPITVLA

LVDOVICI PII IMPERATORIS

EXCERPTA EX LEGE LONGOBARDORVM.

Lib. 2. leg. Longob. tit. 14. c. 2.

I. Primum omnium placuit nobis ut chartulæ obligationis de singulis liberis hominibus factæ, qui se aut uxores eorum aut filios vel filias in servitio traderint, ubi inventæ fuerint, frangantur, & sint liberi sicut primitus fuerunt.

Ibid. tit. 47. c. 5.

II. Omnibus Episcopis, Abbatibus, cunctòque clero omnino præcipimus Vicedominos, Præpositos, Advocatos, si ve Defensores habere bonos, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & justitiam in omnibus diligentes. De iudicibus autem vel Centenariis atque Tribunis vel Vicariis dignum esse censuimus ut si mali fuerint reperti, de ministerio suo abiciantur.

Ibid. tit. 51. c. 10.

III. Si duo testimonia de qualibet re testimoniaverint, & inter se discordaverint, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera, ut illi duo de-

certent cum scutis & fustibus; & ille qui de falsitate convictus fuerit, dextera manus ejus amputetur.

Ibid. c. 11.

IV. Constitutum est ut nullus laicus crimen Clericis audeat inferre. Testimonium Clerici adversus laicum nemo recipiat. Nemo enim Clericus vel Diaconus vel Presbyter pro qualibet causa intret in curiam, nec ante judicem causam dicere præsumat. Quoniam omnis curia à cruore dicitur & immolatione simulachorum. Et si quis Clericus Clericum accusans in curiam introierit, anathema sit. *Ex epilogo Concilij Romani sub Silvestro.*

Ibid. lib. 5. tit. 1. c. 37.

V. Ut omnis ordo Ecclesiarum secundum legem Romanam vivat. Et sic inquirantur vel defendantur res ecclesiasticæ ut emphiteuseos contractus, unde Ecclesia damnnum patiatur, non observetur, sed secundum legem Romanam destruat, & poena non solvatur.

F I N I S.

Tom. I.

Xx

*Catalogus veterum codicum manuscriptorum quibus usi sumus
in emendandis libris septem Capitularium
& quatuor Additionibus.*

- I. **B**ellovacensis, ex bibliotheca cathedralis Ecclesiæ Bellova-
censis ad nos missus.
- II. Camberonensis, qui fuit monasterij Camberonensis in diocesi
Cameracensi, & nunc servatur Parisiis in bibliotheca R.R. P.P. Prædi-
catorum in via sancti Honorati.
- III. Colbertinus.
- IV. Divionensis, quem nobis communicavit vir clarissimus Phil-
bertus de la Mare Senator Divionensis.
- V. Metensis sancti Arnulphi, ad nos missus ex bibliotheca sancti Ar-
nulphi Metensis.
- VI. Metensis sancti Vincentij, qui nunc extat in bibliotheca Colle-
gij Parisiensis Societatis Iesu.
- VII. Sancti Michaëlis, quem habuimus ex bibliotheca monasterij
sancti Michaëlis in periculo maris.
- VIII. Noster.
- IX. Palatinus, sive variantes lectiones ad nos missæ ex codice Pala-
tino bibliothecæ Vaticanæ.
- X. Parisiensis, qui fuit Jacobi Sirmondi, & servatur in bibliotheca
Collegij Parisiensis Societatis Iesu.
- XI. Pithœanus, ita à nobis dictus quia fuit Petri Pithœi. Extat nunc
in bibliotheca Thuana.
- XII. Reginus.
- XIII. Remensis, qui fuit monasterij sancti Remigij Remensis, ex
bibliotheca dein Tiliiana translatus in Claromontanam Societatis Iesu,
ubi nunc extat.
- XIV. Rivipullensis, quem habuimus ex monasterio Rivipullensi in
provincia Tarraconensi.
- XV. XVI. Sangallenses duo, ex bibliotheca monasterij sancti Galli
in Helveria huc ad nos delati.
- XVII. Thuanus, diversus à Pithœano.
- XVIII. Tilianus, is ipse nimirum quo Ioannes Tilius usus est anno
MDXLVII. in edendis libris Capitularium, ejus manu emendatus &
interpolatus. Extat nunc in bibliotheca regia, diversus à regio de quo
dictum est supra.
- XIX. Trecentis, qui fuit Francisci Pithœi, ad nos missus ex biblio-
theca Oratorij Trecentis.

